

23021. II. C. g. 2

**Hl. Alonsius.**

Du wirst eine herrliche Krone in der Hand des Herrn sein,
ein köstliches Stirnband in der Hand Deines Gottes.

Jesajas 62, 3.

PRECES

ET

HYMNI

IN USUM

STUDIOSAE JUVENTUTIS.

Collegit:

Antonius Globozhaik,


Catecheta Gymnasii Labacensis.



LABACI.

TYPIS & SUMPTIBUS J. RUDOLPHI MILLITZ.

1857.



PRECES MATUTINÆ.

Ut recte pieque diem transigas, plurimum refert bene coepisse. Male et infeliciter tibi nullus ibit dies, quem Deo auspice coeperis; a fonte enim omnis boni, quid nisi bonum? Prima igitur evigilantis cogitatio sit, Deus; primum verbum, Jesus; prima actio, signum sanctae crucis. „Hora surgendi non te trices;“ sed vincas te ipsum, tibi que dictum existimes, quod angelus Petro dixit: „Surge velociter.“ Aurora musis amica.

Expergefactus ergo dic:

Vivat Jesus, Amor meus,
Et Maria, Mater Ejus.

Deinde cruce signans frontem, os et pectus:

JESUS Christus crucifixus, sit in omnibus meis cogitationibus, verbis, et operibus.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.

Sancte Deus, sancte fortis, sancte immortalis, miserere nobis.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.

Dum surgis:

In nomine Dei, Patris, qui me creavit; et Filii, qui me pretio Sanguinis sui redemit; et Spiritus sancti, qui me sanctificavit, surgo; ipsi honor et gloria in saecula, Amen.

Induendo te memor sis praesentis Dei, in quo vivis, moveris et es. Preces matutinas nunquam omittas, sed devote ac reverenter eas persolvas. Primitias diei Deo consecrare oportet. Cum indutus fueris, flexis genibus ora:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Deus infinitae majestatis, qui hic et ubique existis, credo, te hic esse praesentem, videntem me, omniaque interiora mea. Te adoro, te laudo, in te credo ac spero, teque diligo ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex totis viribus meis. — Gratias tibi ago, liberalissime Domine! pro tot tantisque beneficiis a tua munifica bonitate ac liberalitate tum in anima, tum in corpore acceptis; praesertim vero pro iis, quod me creaveris, quod me hucusque ac nominatim hac nocte conservaveris, quod me pretioso sanguine redemeris, quod me sacrosancto baptismate regeneraveris, quod me ad ecclesiam catholicam vocaveris, quod tempus poenitendi ac vitam aeternam merendi mihi concesseris, meque a multis malis liberaveris. — Tu scis, Domine, me sine te nihil posse facere; idcirco recurro

ad te fontem gratiae, ut mihi largiri velis gratiam, qua omnia peccata, praesertim vero hoc N., vitare, parentibus et eorum locum tenentibus amorem, reverentiam et gratitudinem exhibere, in sapientia ac virtute proficere, atque omnia opera mea ad majorem gloriam tuam, in gratiarum actionem pro beneficiis tuis, ac in satisfactionem pro peccatis meis peragere queam. Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare Domine Deus, rex caeli et terrae, hodie cor et corpus meum, sensus, sermones et actus meos, in lege tua et in operibus mandatorum tuorum, ut nulli offensionem sim, vel scandalum dem. — Quidquid acturus sum, agam in unione divinae illius intentionis, quam habuit Christus Dominus, dum in terris degeret; servire enim tibi volo in sanctitatis et justitiae omnibus diebus vitae meae. — Diligo etiam, o Domine! proximum meum sicut me ipsum; atque ex hoc amore opto parentibus, fratribus, sororibus, consanguineis, benefactoribus, magistris, confessario et amicis meis; omni ordini ecclesiastico, principi nostro, aliisque, pro quibus orare teneor, cunctis denique hominibus, sive bene sive male mihi affectis, bonorum temporalium sufficientiam, gratiae vero et virtutum ubertatem, miseris sublevationem, afflictis consolationem, aegrotis levamen, moribundis felicem transitum, defunctis requiem, omnibus sanctam pacem, benedictionem et salutem. — Libera me ab omni malo; aut si quod mihi impen-

det, fac, ut illud de manu tua cum gratiarum actione acceptem, et in spiritu poenitentiae atque cum resignatione in voluntatem tuam feram.

Commenda te B. V. Mariae.

Gloriosa Dei Mater et Regina Coeli, S. Maria, patrona mea singularis, saluto te per dulcissimum Cor Jesu Christi, tui dilectissimi Filii, et commendo me hodie maternae pietati tuae, ut ad ejusdem Filii tui gloriam et salutem meam, proximique commodum, omnia, quae facturus sum, rite instituantur, atque absolvantur; in omni etiam tribulatione, tentatione, angustia, et periculis, succurre mihi, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

Commenda particulariter tuam Castitatem.

Per Immaculatam Conceptionem tuam, ac purissimam Virginitatem munda cor meum et corpus meum Virgo Mater ante Partum, in Partu, et post Partum.

Oratio ad s. Angelum Custodem.

Saluto te per suavissimum Cor Jesu Christi, ô Sancte Angele Dei, Princeps nobilis, custos meus fidelis, cui me gubernandum Divina bonitas tradidit. Quantum tibi debeo, quod indigno mihi tot annis, tamque fidelis assistis, et animi corporis-

que salutem procuras? Commendo me tibi hodie, ut adversus malignum hostem te duce illaesus conservet, et in gratia Dei ad extremum usque halitum constans perseverem, et tecum in Coelo Dominum nostrum laudem in aeternum. Amen.

Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, custodi, rege, et gubernata. Amen.

Ad ss. Patronos.

Sancte Aloysi et omnes sancti Patroni mei, omnesque electi Dei, intercessione vestra inopem juvate, jacentem erigite, peregrinanti perseverantiam et gratiam impetrate, ut Deum ubique et in omnibus quaeram, voluntatem ac beneplacitum ejus exsequar, atque tandem per felicem mortem ad eum pervenire merear. — — Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus S. descendat super me, et maneat semper. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Credo. Angelus Domini.

Junge, si potes, precibus matutinis brevem saltem ac attentam lectionem e libro pio. Meditationi etiam tempus matutinum opportunum invenies. Recede autem a turba, et confer te in locum ad eam instituendam aptum. — Antequam opus aliquod aggrediaris, adverte animam ad ejus indolem, gravitatem et rectum modum, hisque congruenter agere ex optimo motivo decerne. Implora opem Dei ad id exsequendum, vel animo solum, vel ore etiam. Sub actione invigila tibi, ne a proposito deflectas,

ne quid pravi vel minus recti irrepat, ne perfectius agendi modum negligas. Opere expleto observa, an pura intentione, exacte riteque illud obieris, an non naevos ac defectus commiseris; et vel Deo gratias age pro bono successu, vel teipsum objurga ob defectus, quos detexisti. — Praevide occasiones peccandi, ut eas fugias; utere occasionibus exercendi virtutem, otiumque horre.

AD SIGNUM SALUTATIONIS ANGELICÆ MANE, MERIDIE ET VESPERI.

Angelus Domini nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu Sancto. (*Quanta Mariae dignitas! Cole eam.*) Ave Maria etc.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. (*Quae obedientia ac humilitas Mariae! Imitare eam.*) Ave Maria etc.

Et Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis. (*Quam insigne Dei in nos beneficium! Gratias age verbo ac opere.*) Ave Maria etc.

Ÿ. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix, R. ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde; ut, qui angelo nuntiante, Christi, Filii tui, incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur; per eundem Christum Dominum nostrum. *Vesperis adde: Requiem aeternam*

dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis. Requiescant in pace. Amen.

Hae preces extra tempus paschale flexis genibus dicuntur.

ANTE STUDIA.

„Cum adhuc junior essem, priusquam aberrarem, quaesivi sapientiam palam in oratione mea; ante templum postulabam pro illa, et usque in novissimis exquiram eam. Laetatum est cor meum in ea. Ambulavit pes meus iter rectum; a juventute mea investigabam illam.“ *Eccli. 51, 18.* — *Ante Studia ora; Deus enim est Pater luminum.*

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

V. Emitte spiritum tuum; et creabuntur. *R.* Et renovabis faciem terrae.

Oremus. Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sunt, qui studentes imaginem Crucifixi prae oculis habent, quam vir quidam sanctus bibliothecam suam appellavit.

POST STUDIA.

Age Deo gratias pro doctrina percepta, et roga eum, ut tibi illam bene imprimas, atque ut ipse retribuat magistro tuo laborem pro te exantlatum.

Oremus. Domine, non veniat mihi pes superbiae. Non sinas me inflari scientia, quae destruetur; sed da mihi caritatem, quae aedificat, et nunquam excidit, ut non evanescam in cogitationibus meis. Da, ut non tam hominibus, quam tibi placere studeam, qui es finis et corona laborum in saecula; per Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia oratio :

Benignissime Deus! gratias tibi agimus pro doctrina et institutione percepta; da, quaesumus, ut eam fideliter animo teneamus, et, officia nostra rite exequentes, amore tuo infinito digni evadamus; per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater. Ave.

PRECES JACULATORIAE.

Commendo tibi preces breviores, pias de Deo cogitationes et affectiones vel animo retentas, vel verbis expressas. Hae preces jaculatoriae, ut vocantur, sunt devotionis efficacissimum praesidium, et aequae vitae perfectioris subsidium. Illae nullo negotio praepediuntur, nullum impediunt, omnia potius nobilitant et perficiunt. Quidquid audis, vides aut percipis, precum harum materiem tibi praebet. In Psalmis praecipue harum plurimae prostant; amor Dei fervens eas suggerit, et modum docet.

Evigilando cogita: Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. — Surgendo: Jam

hora est de somno surgendi. Domine Jesu! surgam in nomine tuo. — *Induendo te:* Oculi Domini clariores sole. Abjiciam opera tenebrarum, et induar arma lucis: et in die honeste ambulabo. Indue me Domine vestimentis salutis, et stola innocentiae vesti me. — Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam mentis et cordis. Domine, qui omnes capillos capitis mei dinumerasti: da, ne quidquam mei intereat sine divino nutu tuo. — Da mihi pro thorace justitiam, et verbo virtutis tuae protege me. — *Ante lectionem spiritualem:* Loquere Domine, quia audit servus tuus. *Post lectionem:* Confirma hoc Deus, quod inspirare et operari in me dignatus es. — *Domo egressurus:* Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. — *Eundo ad ecclesiam:* Benedic anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus. — *Ad ingressum templi:* Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, Domine. — *In aspersione aquae benedictae:* Asperges me Domine hyssopo et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. — *Ante orationem:* Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate adorent eum. *Post orationem:* Intret postulatio mea in conspectu tuo Domine: secundum eloquium tuum eripe me. — *Ante concionem:* Beatus homo, quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum. Doce me facere voluntatem tuam.

Post concionem: Utinam semen verbi divini cecidisset in terram bonam, et fructum ferret centuplum! — *Ante initium operis:* Deus, in adjutorium meum intende; *vel:* Domine, ad gloriam tuam: *vel:* Omnia grato amore erga te; *vel:* In nomine Patris etc. — *Si opus diutius durat:* Actiones nostras, quaesumus Domine, quas praeveniendo aspiras, etiam adjuvando proseguere; *vel:* Maledictus, qui opus Domini facit fraudulenter. *Si e votis successit:* Danti mihi sapientiam, dabo gloriam; *vel:* Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam; *vel:* Gloria Patri etc. *Si non successit:* Bonum mihi, quia humiliasti me Domine, ut discam justificationes tuas. — *Dum superior tibi loquitur:* Qui vos audit, me audit. — *Si adversi aliquid tibi contingit:* Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum! — *Si aliis postponeris:* Priusquam humiliarer, ego deliqui; propterea eloquium tuum custodivi. *Si propter virtutem pateris:* Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. — *Dum urget tentatio superatu difficilis:* Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. — *Inter ambulandum:* Si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. — *Dum transis crucifixi imaginem:* Salvator mundi, salva nos, qui per crucem et mortem tuam redemisti nos; *vel:* Adoramus te Christe, et benedicimus tibi, quia per crucem tuam

redemisti mundum; *vel*: Sancte Deus, sancte fortis, sancte et immortalis, miserere nobis. — *Cum vides imaginem B. M. V.*: Maria, mater gratiae: tu nos ab hoste protege, et mortis hora suscipe; *vel*: Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae; *vel*: Monstra te esse matrem. — *Conspiciens templum*: Corpus meum templum est Spiritus sancti; absit, ut illud unquam peccato profanem! — *Ingressurus domum alienam*: Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea. — *Conversaturus cum aliis*: Da Deus, ut in conversatione mea sanctus sim; *vel*: Pone custodiam ori meo; *vel*: Tempus loquendi et tempus tacendi. — *Contra multiloquium*: In multiloquio non deerit peccatum; *vel*: Mors et vita in manu linguae. — *Ad sonitum horologii*: Fugit hora; *vel*: Breve et irreparabile tempus omnibus est vitae; *vel*: Dum tempus habemus, operemur bonum; *vel*: Qua hora non putatis, filius hominis veniet; *vel*: Jesu tibi vivo; Jesu tibi morior; sive vivo, sive morior, tuus sum. — *Rediturus domum*: Beati, qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorem laudabunt te. — *Eleemosynam facturus*: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. — *Contra desiderium hominibus tantum placendi*: Si hominibus placerem, Christi servus non essem. *Contra superbiam*: Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam; *vel*: Quid superbit terra-

et cinis? — *Contra jactantiam*: Laudet te alienus, et non os tuum. — *Contra vanam gloriam*: Vae, qui sapientes estis in oculis vestris! *vel*: Receperunt mercedem suam. — *Contra avaritiam*: Beatius est magis dare, quam accipere. — *Contra luxuriam*: Momentaneum, quod delectat; aeternum, quod cruciat. — *Contra familiaritatem noxiam*: Eripe me Domine ab homine malo. — *Conversando cum sexu altero*: Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. — *Contra invidiam*: Qui ruina laetatur alterius, non erit impunitus. — *Contra gulam*: Regnum Dei non est esca et potus. — *Contra iram*: Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit. — *Contra vindictam*: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. — *Contra curiositatem videndi*: Averte oculos meos, ne videant vanitatem. — *Contra judicium temerarium*: Tu, quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. — *Si contra te insurgant malae suspensiones*: Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae. — *Contra mendacium*: Verba mendacia longe fac a te. — *Post commissum peccatum*: Peccavi Domine! propitius esto mihi peccatori. — *Dum sanctissimum defertur ad aegrotum*: Jesu, qui tot aegros sanasti, sana animam et corpus aegri, quem visitas. — *Dum signum datur pro agonizante*: Da Domine Jesu per mortem tuam agonizanti gratiam

moriendi in fide vera, in spe firma et caritate sincera. In manus tuas commendo et spiritum meum. — *Exuendo te*: Exuam Domine veterem hominem, et induam novum. *Transiens coemeterium*: Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. — *Dum vadis ad lectum*: Vitae et salutis incertus intro lectum, velut sepulcrum. — Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. — *Si dormire nequis*: Jesu! quot noctes orando egisti insomnes! quanta passus es ultima nocte vitae tuae! quanta patiuntur tot aegrotantes, morti proximi! quanta animae in purgatorio! quanta damnati! —

PARAPHRASIS ORATIONIS DOMINICÆ.

Oratio Dominica orationum omnium summa, exemplar et perfectissima norma est, ab ipso Christo formata, et a sacro illius ore profecta. Commendatur tum brevitate, tum facilitate; omnes denique bonae orationis partes, leges et conditiones paucis quidem verbis, sed luculenter exprimit. Haec primis christianis orationis quotidianae nomine appellabatur, et a baptizatis, simul ac de aquis egressi essent, dici, atque in missae sacrificio communiter veluti clausula precum consecrationis recitari consuevit. Illa est optimorum compendium votorum. Si ad expositionem ejus, orans, subinde reflexeris: majori affectu fructuque eam repetes.

Pater noster, qui es in caelis. Creator et conservator omnium, in caelis manifestans excellentius gloriam tuam, emi-

nensque super omnia, tu Pater noster es; tu nos in gratiam recipis, et propter Christum in tuos etiam filios atque regni caelestis heredes per Spiritum sanctum adoptasti. Quantum beneficium! — et ejus recordatio ad redamandum te Patrem, tibi obtemperandum, filios non provocet? orandi impetrandique fiduciam illis non augeat, mutuaque caritatem, cum omnes invicem fratres sint, non inflammet?

Sanctificetur nomen tuum. Divina majestas tua sancta colatur, ametur, timeatur et celebretur ab omnibus. Magnitudo, omnipotentia, sanctitas ceteraque perfectiones tuae omnibus innotescant, summaque religione ab omnibus honorentur. Promoveatur semper et augeatur, quidquid ad gloriam tuam spectat. Exserant lucem ac vim suam in nobis verae fidei confessio, spes etiam et caritas, ac christianae vitae sancta conversatio, ut spectantes alii quoque te summum optimumque Patrem glorificent. — Da tandem, ut cursum meum ita consummem, quo dicere possim: Pater! clarificavi te super terram, clarifica nunc me filium.

Adveniat regnum tuum. Regna in Ecclesia tua mundoque universo, per gratiam et justitiam tuam. Regna in nobis per amorem, caritatem ac pacem. Tum, ex hoc mundo, veluti peregrinatione militiaeque vocatos, quamprimum transfer ad regnum gloriae et felicitatis aeternae, ut tecum et cum sanctis tuis regnemus in perpetuum.

Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra. Da Domine, ut, sicut angeli et beati omnes in caelis, ita nos quoque in terris, quamvis imbecilles, exactam tibi praestemus obedientiam, nihil habentes antiquius, quam ut, quidquid decrevisti ac praecepisti, a nobis fiat: ut divinae voluntati tuae tum in prosperis tum in adversis promte, alacriter, integre, fideliter et constanter puroque amore erga te nos subjiciamus, et nostra, quae ad malum prona est, voluntate rejecta, in tua semper acquiescamus.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. A te, omnis boni auctore et fonte, veluti pauperes et mendici ea petimus, quae ad hanc vitam corporis sustentandam sufficiunt, victum scilicet ac vestitum: et quae ad vitam animae promovendam faciunt, nimirum verbum tuum, animae spirituale pabulum, sacrosanctam Eucharistiam, panem illum caelestem, ceteraque salutifera Ecclesiae sacramenta, tuaque dona, quae ad bene beateque vivendum nos pascunt, curant atque confirmant.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Expurga nos clementer a labe peccati, quo nihil foedius, nihil animae pestilentius esse potest, et ea, quae peccando contraximus, debita relaxa. Ne vero frustranea sit precatio, animo in proximum perperam affecto, et nos, vindictae cupiditate posita,

cum proximis in gratiam redimus, et his ex animo noxam omnem condonamus. Doces enim nos: „Dimittite, et dimittimini;“ et: „Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.“ — Quomodo tibi placeret munus meum ad altare, in sacrificio missae et sacra communione, nisi, habens aliquid adversus fratrem, vaderem prius ei reconciliari?

Et ne nos inducas in tentationem. Praesens vita haec perinde ac militia est super terram, dum variis tentationibus semper impugnamur, graviterque cum mundo, carne et Satana conflictamur. Idcirco pie solliciti tuam opem imploramus Domine, ne hujusmodi adversariorum impugnationibus succumbamus, atque succumbendo damnemur; sed ut in hac pugna durante, tuaque dextera nitentes, potestati diaboli resistamus, mundum contempnamus, carnem castigemus, atque ita demum velut invicti milites post vitam coronemur.

Sed libera nos a malo. Non sinas nos hujus saeculi calamitatibus everri cum impiis, sed libera nos benignitate tua ab omni malo tum corporis, quatenus salutis nostrae verae congruit; tum animae, sive in hac vita, sive in futura; libera nos a malo praeterito per contritionem et poenitentiam, a praesenti per gratiae tuae custodiam, ac a futuro per sanctam in tuo timore perseverantiam.

Amen. Fiat. Da, quod petimus, per merita Christi et propter immensam tuam erga nos clementiam ac propensam in omnes misericordiam.

PARAPHRASIS SALUTATIONIS ANGELICÆ.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Gratulando praedicamus te, beatissima Virgo, quod maledictionem, quam Eva in mundum intulit, eo, quod Mater Salvatoris extitisti, sustuleris, ipsamque maledictionem filiorum Adæ, benedictione perpetua commutaveris. — Gratia plena. Tu plena Deo, plena virtutibus, gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta es, ut gratiae replereris authore. Utinam nec in mea anima, nec in corpore locus esset vitiis, cum Sancti Sanctorum membrum, atque templum Spiritus sancti sim effectus! — Dominus tecum. Pater, cujus dilectissima filia; Filius, cujus admirabilis mater; et Spiritus Sanctus, cujus purissima sponsa es, tecum est. Utinam Dominus et mecum esset!

Benedicta tu in mulieribus. Inter omnes filias Evæ tu sola duplici vere admirabili dignitate excellis, quia Mater Dei — hominis Jesu Christi, Salvatoris nostri, eligi meruisti et Virgo in aevum praedicanda permansisti. Ex hoc beatam te dicunt omnes generationes.

Et benedictus fructus ventris tui,

Jesus. Jesus Christus Redemptor noster Tibi, matri suae, conjunctissimus est. Quis ergo, qui Jesum Christum vere diligit, dum Eum adorat, Tui oblivisci possit, et quis, dum Te colit, Jesu Christo non summopere placeat?

Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen. Tanta Dei virtute auctam te credimus atque profiteamur, ut possis prodesse, favere, annuere nobis miseris mortalibus, dum nos votaue nostra tibi commendamus, ac divinam gratiam materna tua intercessione supplices expetimus. Intercede pro nobis ad Dominum, qui te elegit, ac singulariter in hora mortis monstra te esse matrem. Amen.

PARAPHRASIS SYMBOLI APOSTOLORUM.

Hoc symbolum velut illustris nota est, qua Christiani ab iis, qui vel nullam, vel non rectam Christi fidem profitentur, discernuntur.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae. Credo, Deum unum esse, aeternum, potentia, majestateque summum, cui nihil factu impossibile est vel difficile; qui vitae et mortis tenet potestatem. Pater caelestis Filium ex omni aeternitate genuit, et nos hoc tempore gratiae in filios adoptavit. Is

verbo produxit omnia; producta vero usque conservat, ac gubernat summa cum bonitate et scientia. Ipse Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, talis demum ac tantus est, ut nutui illius supera, terrestria et infera pareant, quo duce ac protectore, in summis etiam malis atque periculis, illaesus ac tutus conservor. — Quam laetam itaque obedientiam ei debeo! quam firmam fiduciam in eo ponam! quanta est dignitas mea! Et ab hac dignitate peccando degenerem?

Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Jesu Christe, tu es Filius Dei vivi, aequalis Patri secundum divinitatem, verus Deus ac verus homo; Salvator populi tui, plenus gratia ac veritate, Messias, Rex ac Pontifex noster. Tu es Dominus noster. Tu nos perditos a servitute Satanae liberasti, nosque a jugo peccati et damnationis redemisti: tu es Filius dilectus Patris, in quo sibi bene complacuit; tu Emmanuel et audiendus a nobis praeceptor es. — Salva me servum tuum, Domine; nec enim aliud nomen sub caelo datum est mihi, in quo oporteat me salvum fieri.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Propter nos de caelo descendisti, et humanam assumpsisti naturam. In Nazareth de Spiritu Sancto conceptus, et in Bethlehem natus es ex illibata Virgine ita, ut Verbum Caro, et Deus Homo fieres, atque Maria simul Dei

mater ac virgo esset. Haec tua temporalis conceptio et generatio nostrae salutis ac redemptionis primordia continet, nostraeque est forma regenerationis. Quam felix reditus sum Incarnatione tua! Utinam totus conformis fierem imagini tuae!

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus. Licet agnus esses absque macula innocentissimus, tamen ut maximam tuam erga nos demonstrares caritatem, cum praeclare docendi et miracula patrandi finem fecisses, passus es volens a scelestissimis extrema et acerbissima quaeque. Nec iudicium iudicis quam iniquissimum, neque crucem, probrosissimum supplicii genus, defugisti; sed mortem pro nobis crudelissimam adiens, sepulturam in alieno etiam monumento non recusasti, totum ut te vivens moriensque nobis donares, atque impenderes. Et ego non bibam calicem passionis, quem mihi porrigis? Ego conquerar, qui tamen ad sanguinem non restiti? Sanguis, crux, vulnera ac mors tua mihi peccatori sanitatem mortemque exhibent. Si tibi pareo, ac tibi compatiar capiti, simul et conglorificabor. — Quievit Christus in sepulcro, qui pro nobis pependit in ligno. Fruar et ego requie, postquam legitime certavero.

Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Penetrasti inferos, ut mortis ac Satanae victorem, atque Patrum in limbo sedentium liberatorem te declarares. Tertia post die ad vitam tua vi, im-

mortalis ac gloriosus, primogenitus ex mortuis, resurrexisti. Quanta ex admirabili hoc opere tuo fluit consolatio! Doces, electos de potestate Satanae, mortis et inferi liberari, eamque gratiam mihi offers et commendas, ut vere credens in te de vitiis ad virtutem, a morte peccati ad vitam gratiae, in fine porro saeculorum omnium de vita corporis ad vitam immortalem resurgam.

Ascendit ad caelos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis. Redivivus tuis apparuisti, multisque argumentis, resurrectionis tuae veritatem confirmasti. Demum quadragesimo die super caelos ascendisti, ibique parem cum Patre potestatem exerces gubernans omnia divinaque majestate resplendens. Haec laeta ascensio tuae meae fidei ac spei certitudo est. Quo caput praecessisti, eodem, si tibi capiti inhaeream, me membrum perventurum confido. Vado, inquis, parare vobis locum.

Inde venturus est judicare vivos et mortuos. Extremo judicii die descendes de caelo, ac tremendum acturus iudicium, palam unicuique reddes secundum opera sua. Judicabis omnes, probos ac improbos. Quam caute igitur recteque mihi agendum, cum persvasum habeam, cogitationes, verba ac opera mea ob oculos cernentis Dei usque versari! Domine, non secundum peccata mea facias mihi, neque secundum iniquitatem meam retribuas mihi.

Credo in Spiritum Sanctum. Hic ex Patre Filioque procedit, et eadem fide, parique cultu et honore, quo Pater et Filius, colendus est. Hic ille Paracletus et Doctor veritatis; hic est pignus hereditatis nostrae, singulis, prout vult, varias donationes suas impertiens. — Illustra cor meum gratia tua tuisque donis; adjuva infirmitatem meam, purifica, sanctifica ac in omni sanctitate confirma me.

Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem. Ecclesia, Christi fidelium visibilis congregatio, est *una*. Consentit in fidei doctrina et administratione Sacramentorum, atque sub uno capite suo Christo, unoque vices ejus in terris gerente, Pontifice maximo, regitur, et in unitate conservatur. — Est *sancta*, per Spiritum Sanctum a Christo usque sanctificatur, ut sancti homines, et sanctae leges nunquam in illa desint. Nec ullus extra hujus consortium, sanctitatis particeps esse potest. Est *catholica*, adeo, ut per orbem longe lateque diffusa omnes omnium temporum, locorum et nationum homines, qui modo in Christi fide ac doctrina conveniunt, uno quasi materno sinu excipiat, concludat ac salvet. — Est *apostolica*, quia, a Christo fundata super fundamentum apostolorum, legitimos apostolorum successores habet episcopos, qui a Spiritu sancto positi sunt, regere ecclesiam Dei. — Est *infallibilis*; columna et firmamentum veritatis. Jesus cum ea erit

usque ad consummationem saeculi. In hac Ecclesia est COMMUNIO. Qui in illa, veluti domo Dei familiaeque versantur, societatem quandam inter se et unionem servant, et, ut unius corporis membra, mutuis officiis, meritis et orationibus se invicem juvant. In hac communionem non modo sancti Ecclesiae militantis in terra peregrinantes, verum etiam beati omnes Ecclesiae cum Christo in caelis felicissime triumphantis, ac insuper piorum animae, quae ex hac vita egressae, nondum tamen illam beatorum felicitatem sunt consecutae, comprehenduntur. Quam felix sum, quod membrum hujus ecclesiae constituam!

Remissionem peccatorum. Hanc nobis, Christe, acerba morte ac pretioso sanguine tuo comparasti. Hujus vero thesauri gratia tua tum duntaxat particeps fio, si fide ac baptismo Ecclesiae tuae adjunctus, in ejus unitate obedientiaque persistam, atque de commissis post baptismum peccatis poenitentiam serio agam. Commisisti Apostolis et ministris Ecclesiae potestatem clavium ad remittenda peccata. Gratias tibi ago pro tam insigni beneficio. Absit a me, si peccavero, omnem spem obtinendae a te veniae abjicere!

Carnis resurrectionem. Haec in novissimo die bonis malisque continget. Corpus hoc, quod fragile, caducum, multisque morbis et perpetuis aerumnis obnoxium circumfero, tum reviviscet, cum mortui omnes, Christo vocante iudice, simul ad

vitam et iudicium suscitabuntur. Rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum. — Da Domine, ut prudenter agam, corpusque hoc, veluti vas purum, beatæ præparem immortalitati.

Et vitam æternam. Amen. Vita hæc fructus ac finis est fidei, spei et caritatis christianæ. Hujus vitæ consequendæ causa nullum pietatis opus arduum, nullus labor gravis, nullus dolor acerbus, nullum in agendo patiendoque tempus diuturnum ac molestum mihi credenti existimabitur. Quod si vita hac, quæ calamitatis alioquin plena est, nihil dulcius et amabilius dicitur, quanto illam demum pretiosiores habeam, quæ ab omni malorum sensu et metu abest, quæ caelestibus et ineffabilibus sine fine gaudiis, deliciis ac voluptatibus omni ex parte abundat! — Fac me Domine ita vivere, ut aliquando possidere merear regnum paratum electis a constitutione mundi. — Amen. Fiat.

ORATIO DOMINICA.

Sidereo Genitor residens in vertice coeli,
Nominis, oramus, veneratio sanctificetur
In nobis, Pater alme, tui: tranquillaque
mundo

Adveniat, regnique tui lux ampla patescat:
Sic terra, ut coelo, fiat tua clara voluntas:
Vitalisque hodie sancti substantia panis
Proveniat nobis: tua nos largitio solvat,

Innumera indulgens erroris debita pravi;
 Et nos haud aliter cunctis ignoscimus ultro:
 Tetri saeva procul tentatio daemonis absit:
 Deque malis tua nos in lucem dextera
 tollat. Amen.

SALUTATIO ANGELICA.

Salve stella maris, divina gratia abundans;
 Tecum Altissimus, inter matronas bene-
 dicta;

Spem genuisti hominum, benedictum nu-
 mine Jesum!

Sancta Maria, Dei mater, pro sordibus ora
 Nobis, nunc, et quando funeris imminet
 hora. Amen.

SYMBOLUM APOSTOLICUM.

Omnipotens Numen, coeli terraeque Creator,
 Alme Parens, in te fidenti pectore credo,
 Inque tuum pariter, Christi cui nomen Jesu,
 Unigenam natum, Dominum, nostraeque
 salutis

Auctorem: quem plena tuo Spiramine sancto
 Conceptum mater virgo Maria edidit orbi,
 Pilatus contra sed Pontius ultima passum
 Supplicio crucis infami damnavit, ubi ille
 Oppetiit mortem placitam, tectusque se-
 pulchro

Ad sanctas animas vindex descendit in
 orcum.

Tertia lux aderat, cum mox a morte re-
 ductus

Surrexit; coelosque super se sustulit omnes,
 Et Patris ad dextram sedet omnipotentis,
 et inde

Adveniet vivis iudex et lumine cassis.

Credo itidem in sanctam supremi Numinis
 auram,

Sanctum credo Dei tempusque locumque
 per omnem

Diffusum coetum, commercia certa piorum,
 Et veniam scelerum, et reduces in corpora
 quondam

Has animas, nulloque obituram tempore
 vitam.

Benedicat et custodiat nos omnipotens
 et misericors Dominus, Pater, et Filius,
 et Spiritus sanctus. Amen.

In manus tuas commendo spiritum
 meum.

ORATIO

*S. Thomae Aquinatis ad emendationem
 vitae quotidie recitanda.*

Concede mihi, misericors Deus, quae
 tibi placita sunt, veraciter agnoscere, ar-
 denter concupiscere, prudenter investigare,
 perfecte adimplere. Quod a me requiris,
 ut faciam, tribue, ut sciam: et da exequi,
 sicut oportet, et expedit animae meae. Da
 mihi, Domine Deus meus, inter prospera
 et adversa non deficere, ut in illis non
 extollar, in istis non deprimar; de nullo
 gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad

te, vel a te abducat. Nulli, nisi tibi, placere appetam, vel displicere timeam. Vilescent mihi, Domine, omnia transitoria, et chara mihi sint omnia tua propter te, et tu Deus super omnia. Taedeat me gaudii, quod est sine te, nec aliquid cupiam, quod est extra te. Delectet me, Domine, labor, qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies, quae est sine te. Frequenter da mihi, Domine, cor ad te dirigere, et in defectione mea cum proposito emendationis dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientem sine contradictione, pauperem sine defectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, et tristem sine dejectione, maturum sine morositate, agilem sine levitate, timentem sine desperatione, veracem sine duplicitate; operantem bona sine praesumptione; proximum corrigere sine elatione; ipsum aedificare verbo et exemplo sine simulatione.

Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat a te curiosa cogitatio; da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla deorsum obliquet sinistra intentio; da invictum, quod nulla frangat tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet perversa et violenta affectio.

Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem,

conversationem tibi placentem, perseverantiam te fideliter expectantem, et fiduciam te finaliter amplectentem, tuis beneficiis uti in via per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO CLEMENTIS XI.

Praecipuos actus religionis continens.

Credo, Domine, sed credam firmiter; spero, Domine, sed sperem securius; amo, Domine, sed amem ardentius; doleo, Domine, sed doleam vehementius.

Adoro te, ut primum principium; desidero te, ut finem ultimum; laudo te, ut benefactorem perpetuum; invoco te, ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare, potentia protege.

Consecro tibi cogitanda, ut sint a te; dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te.

Volo, quidquid vis; volo, quia vis; volo, quomodo vis; volo, quamdiu vis.

Oro te, ut intellectum meum illumines, voluntatem inflammes, corpus emendes, animum sanctifices.

Desileam praeteritas iniquitates; repellam futuras tentationes; corrigam vitiosas propensiones; excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum saeculi.

Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, inimicis parcere.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem virtute.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, Domine, ut sim in oratione attentus, in epulo sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Curem habere innocentiam interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Assiduo invigilem naturae domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.

Discam a te, quam tenue sit, quod terrenum est; quam grande, quod divinum; quam breve, quod temporaneum; quam durable, quod aeternum.

Da, ut mortem praeveniam, iudicium pertimeam, infernum effugiam, paradisum obtineam. Amen.

ORATIO

Alexandri Papae VII. singulis diebus recitanda.

Adoro te, Sanctissima Trinitas, Pa-

ter, et Filius, et Spiritus sanctus, tres personae, unus et solus Deus.

Dejicio me in abyssum mei nihili sub conspectu divinae Majestatis tuae.

Credo firmissime, paratus mille vitas fundere in contestationem omnium eorum, quae nobis in sacra Scriptura revelasti, et per Ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omnem spem meam in te colloco, et quidquid possum habere boni, sive spiritualis, sive corporalis, in hac vel in altera vita; id totum desidero, spero et volo solum consequi de tua manu, Deus meus, vita mea, et unica spes mea.

Consigno tibi hodie et in perpetuum corpus et animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, et omnes sensus meos.

Protestor, me non consentire, neque consensurum unquam, quantum in me est, in ullam rem, quae fiat vel cum minima offensa tuae divinae Majestatis.

Propono firmissime, impendere omnes facultates et vires meas ad servitium et gloriam tuam.

Paratus sum suscipere, quascunque adversitates mihi paterna manus tua immiserit.

Vellem me totum, quantus sum, impendere, et procurare, ut ab omnibus tibi serviatur, atque omnes homines te glorificent, et ament Deum Creatorem suum.

Gaudeo summe de tua aeterna felicitate, et exulto de tua tam magna gloria in coelo et in terra.

Gratias tibi ago infinitas pro innumeris beneficiis, quae mihi et toti mundo collata sunt, et in dies incessanter a benignissima tua providentia conferuntur.

Amo infinitam Bonitatem tuam, propter seipsam, ex toto affectu cordis et animae meae; et vellem, si possem, amare eo amore, quo te amant omnes angeli et homines justi, cum quorum amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

Offero divinae Majestati tuae in unione meritorum passionis, vitae et mortis Christi, beatissimae Virginis, et omnium Sanctorum, nunc pro semper omnia opera mea, pretiosissimo sanguine Jesu Redemptoris nostri sanctificata. Statuo omnino participem me facere, quantum possibile est, indulgentiarum omnium per actiones hujus diei, et illas applicare per modum suffragii pro animabus purgatorii.

Volo etiam omne illud, quod possum, offerre in poenitentiam et satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus! cum tu sis infinite dignus omni amore et servitio, siquidem tu es, qui es; doleo quantum possum maxime de omnibus peccatis meis, illaque detestor super omnia alia mala; peto humillime veniam, facioque firmissimum propositum nunquam offendendi tuam bonitatem in aeternum.

In vulnera tua me projicio, o Jesu! ibi me absconde et defende hodie et semper; largiaris mihi gratiam videndi te, et

amandi in aeternum. Jesu, Maria, Joseph! Vobis dono cor meum et animam meam. Amen.

ORATIO

pro virtute conservanda.

Custodi me quaeso, Pater coelestis, nunc et semper, ne in ullam peccandi consuetudinem incidam, ut necesse sit, in senectute juventutis meae crimina deflere, sed ut potius quotidie in virtutibus magis magisque proficiam, tranquilla et pura conscientia tibi deserviens. Defende me ab omnibus inimicis meis, qui mihi pericula machinantur in his, quae ad animam vel corpus meum pertinent, quique me seducere, et quae impia sunt, docere student. Ante omnia commendo tibi castitatem corporis mei, ut ea non tantum immunis sit ab omni illicito consensu, sed ut ego eam nec per impuram cogitationem, nec per obscoenam locutionem polluam. Fac, ut parentibus et superioribus meis in obedientia et humilitate serviam, et da mihi gratiam, ut in omnibus tuam sanctam voluntatem faciam, et ad quam me vivendi rationem vocaveris, promptus sequar.

ORATIO

ad Christum in horto orantem.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Et progressus pusillum procidit in

faciem suam, orans et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.

O Dominator coeli et terrae, Jesu Christe, robur, fortitudo et victoria Martyrum, qui per te insultant morti, et in morte victores exultant. Unde ergo tibi metus iste? Unde tam anxia supplicatio? Unde sudor tam mirus et inauditus, id est, sanguineus? Nonne oblatus es, quia ipse voluisti? Nonne voluntarie omnino sacrificium illud Deo Patri obtulisti?

Quis non timeat, o Domine, si times tu, quem omnia timent? Quis non concidat inanimis, si tu procidis in faciem, cui curvatur omne genu? Quis non exhorreat ad mortis aspectum, si tu, qui victor mortis es, morte appropinquante sic formidas?

Sed benedictus sis in aeternum, mi Jesu, quia ad consolationem infirmorum membrorum tuorum haec perferre dignatus es. Utique propter nos homines, et propter nostram salutem pati et crucifigi et mori voluisti. Erit tempus, cum et ego veniam in hanc horam; cum et ego in hunc hortum seu campum certaminis ingrediar. Heu Domine, quid tunc fiet de me? Sine ope tua subsistere non potero, quin deficiam et succumbam, nisi tu mecum sis, et pugnes pro me, tu, qui laborantes et oneratos invitas ad te, ut eos reficias.

Calicem quidem tuum et ego bibere paratus sum; quomodo enim ego peccator recusabo eum, eum tu, Agnus innocens, illum prior ebiberis? Itaque deprecari eum non audeo; attamen hoc enixe precor, Domine, ut temperes mihi calicem istum, et amaritudinem ejus sic gratiae et consolationis tuae fonte diluas, ut non abhorream, nec subterfugiam, quo minus bibam illum; omnia enim potero per gratiam tuam, si me confortes. Sed et calix gloriae tuae inebrians quam praeclarus est! O ubertas domus Dei, qua inebriabuntur Electi tui! O torrens voluptatis, quo potabis amicos tuos! O patria coelestis, ubi copia sine defectu, satiety sine fastidio, gaudium sine interruptione, gloria sine invidia, securitas sine periculo, vita sine morte, bonum omne sine fine! Quid ista spes et expectatio non leniat, condiat, aut dulcoret?

Verum Domine, in his non mea voluntas, sed tua fiat. Suavem mortem non peto, sed qualem tu vis, et nosti fore ad majorem gloriam tuam et meam salutem. Totum hoc tuae pietati et voluntati committo. Si difficiliorem mihi luctam et graviores mortis angustias divina providentia tua disposuit, fiat voluntas tua. Paratum cor meum Deus; sed conserva et adauge in me fidem et spem praesentiae, bonitatis et misericordie tuae; nec derelinquas me, Deus Salvator meus. Mitte et mihi Angelum sanctum tuum, qui in illis angustiis me consolationibus suis erigat et confir-

met, omnemque virtutem inimici propulset a me, donec peracto hoc agone laetus triumphem, et merear a te coronam vitae accipere, quam promisisti diligentibus te, et perseverantibus usque in finem.

Pie Jesu! virtus mea, refugium meum, susceptor meus et liberator meus, in quem speravi, cui credidi, quem dilexi; turris fortitudinis, et spes mea a juventute mea; voca me, dux vitae meae, et ego respondebo tibi. Juva Domine, ne moreris, quia tempus est, ut pulvis in pulverem revertatur, et spiritus redeat ad te Salvatorem suum.

Tu susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum, salus mea, et benedictio mea; porrige mihi dexteram misericordiae tuae; suscipe me secundum multitudinem miserationum tuarum, nam latronem ad te in cruce suspirantem suscepisti.

Aeger sum, infirma est vita mea, et ideo ad te Domine curro medicum. Sana me Domine, et sanabor; quoniam in te confido, non erubescam.

Heu Domine! totus peccator sum, et in peccatis totus natus; parce mihi Domine, et dimitte omnia peccata mea.

Peccavi nimis in vita mea. Certe, nisi in ligno crucis redemisses nos, digna erat in inferno habitare anima mea. Sed ego, piissime Jesu! sum pars tanti pretii; pro me fudisti sanguinem tuum, non me reicias. Ego sum ovis, quae erravi; require me, pastor bone, ut justificeris in sermonibus tuis; nam promisisti mihi, quod,

quacunq̄ue hora peccator ingemuerit, sal-
 vus erit. Mi Jesu! cognosco iniquitates
 meas, et peccatum meum contra me est
 semper; non sum dignus vocari filius tuus,
 quia peccavi in coelum, et coram te. Sed
 auditui meo dabis gaudium et laetitiam;
 averte faciem tuam a peccatis meis, dele
 iniquitates meas secundum magnam miseri-
 cordiam tuam, neque secundum iniquitates
 meas retribuas mihi.

Adjuva me, Deus salutaris meus, et
 propter gloriam nominis tui libera me; be-
 nigne fac Domine in bona voluntate tua,
 ut inhabitem in domo tua omnibus diebus
 vitae meae. Amen.

DIE JOVIS AD AGONIAM.

Pater, si vis, transfer calicem hunc
 a me. Verumtamen non mea, sed tua vo-
 luntas fiat. (*Disce fiduciam filialem in
 Deum, atque voluntatis tuae cum divina
 conformationem.*) Pater noster.

Tristis est anima mea usque ad mor-
 tem. (*Tristitiae pelago immersus est
 Christus, uno intuitu considerans Judae
 proditionem, Petri negationem, Aposto-
 lorum dispersionem, hominum crimina,
 justitiae divinae imminentis severitatem,
 ipsorum peccatorum deformitatem et gra-
 vitatem. — Tristis sit anima nostra us-
 que ad mortem peccati.*) Pater noster.

Et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis, decurrentis in terram. (*Sanguineum sudorem e venis Christi elicit vis doloris pro peccatis nostris, et totius mundi. Lacrymas saltem ex oculis nostris eliciat sincerus et vehemens de peccatis nostris dolor, eliciat vis amoris poenitentis.*) Pater noster.

V. Proprio filio suo non pepercit Deus; R. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oremus. Respice, quaesumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum; qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum.

DIE VENERIS IN MEMORIAM MORTIS CHRISTI.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui in cruce pendens dixisti: Pater! dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt: fac, ut amore erga te parcam cunctis mihi male facientibus. — Et qui dixisti latroni: Hodie mecum eris in paradiso; fac me ita vivere, ut in hora mortis meae eadem verba audire merear. Et qui dixisti matri tuae: Mulier, ecce filius tuus! deinde discipulo: Ecce Mater tua! fac, ut per totam vitam parentibus meis dem amoris argumenta. Et qui dixisti: Deus, Deus

meus, ut quid dereliquisti me? fac me dicere in omni tribulatione: Pater! miserere mei; Redemptor! subveni famulo tuo, quem pretioso sanguine redemisti. Et qui dixisti: Sitio; fac, ut sitiam veram sapientiam, virtutem et aeternam beatitudinem. Et qui dixisti: Pater! in manus tuas commendo spiritum meum; suscipe spiritum meum redeuntem ad te. Et qui dixisti: Consummatum est; da, ut feliciter consummem cursum meum, fidem servem, et justitiae coronam obtineam. Amen.

AFFECTUS.

*animae poenitentis coram imagine
Crucifixi.*

Quem video passis trunco pendere lacertis?

Livida milleno vulnere membra rubent! —

Heu pater est, pater est! patris nosco ora manusque,

Heu pater est, nostri quem crucifixit amor;
In minimas discerpta abeant praecordia partes!

Rumpere cor! nimius non erit iste dolor! —

I flumen praeceps oculis, vultumque pererra;

Fonte sed assiduo non aqua, sanguis eat.

Barbarus ille fuit, Lybicus lactatus in antris,

Vel potius reprobae dira propago Stygis,

Caedere qui flagris erat ausus amabile corpus,

Verberibusque sacrum dilaniare latus;

Qui non extimuit foedis illudere sannis,

Ferreque virgineis spinea sarta comis. —

Ah! mea carnificum scelerata flagella voluptas
 Armavit, vitiis sanguinolenta meis!
 Ah! mea tartareo bacchata superbia nisu
 Dissecuit validis tempora diva rubis!
 Ah! mea ferales clavos peccata pararunt,
 Qui fodiant patris brachia, quique pedes.
 Nec tamen ex oculis lacrymarum flumina manant;
 Sed Scythico durior stat mihi corde silex.
 Dissiliunt tragico discordia culmina motu,
 Petraque lugubrem pandit hiulca sinum;
 Velatus nigro sol ipse parentat amictu,
 Condit et argentum tetrica luna suum.
 Haec mihi cernenti quantus pudor ore recurrit,
 Rupe cor asperius quam pudet esse meum!
 Ergo mihi, dilecte pater! tua vulnera pande,
 Duritiae victor, sanguis ut inde fluat.
 Respice clementi trepidum me respice vultu,
 Quaeque latro vidit, lumina pande mihi!
 Ipse quidem, fateor, longe graviora patravi,
 Quam quae sint veniae crimina digna tuae.
 Funestas potius meruerunt vindicis iras
 Judicis: aeternos commeruere rogos.
 Spero tamen, tua nescit enim clementia fines,
 Spero, meas aliquod pondus habere preces.
 Ipsus aberrantem solo stimulatus amore
 Per juga, per sylvae devia quaeris ovem. —
 En redeo! patulos cordis reclude recessus,
 Hic sedes animae sit diuturna meae.
 Flebo scelus, vastumque prius siccabitur aequor,
 Quam cessent madidis flumina salsa genis.
 Quo magis alta fuit glacies, odiumque nefandum,
 Tanto flamma mei major amoris erit.

PRECES VESPERTINÆ.

Vesperī dum cubitum te confers, cave, ne Dei sis immemor, cujus favore hucusque diem et vitam perduxisti, forsā non perducturus usque mane. Mortis sane memoriam ipse quodammodo lectus ingerit, in quem, veluti in sepulcrum, membra reponis. Et quid est somnus, nisi imago mortis? Temerarius est, qui offenso et non reconciliato Deo, audet se nocti et somno credere. Quin sic potius ad nocturnam te quietem compara, ac si quis auri tue insusurraret: „Hac nocte repetent a te animam tuam.“ Statue te igitur in praesentia Dei, et gratias illi age pro collatis beneficiis, quibus te hodie cumulare dignatus est. Postula ab eo lumen ad cognoscenda peccata tua tibi necessarium. Revoca tibi in mentem omnia peccata, quae commisisti cogitatione, verbo, opere ac omissione; perpende item motiva ac finem actionibus tuis praefixum. Excita dolorem de peccatis commissis, et fac propositum, Deum non amplius offendendi mediante gratia ipsius. Satage denique esse in tali statu, in quali velles esse, dum hora mortis tuae adveniet. — Si teipsum severe judicaveris, sperare poteris, Deum judicem tibi propitium futurum esse.

In nomine Patris etc.

Benignissime Deus, quem hic mihi praesentem viva fide credo, ex toto corde gratias, quas possum, tibi ago maximas pro universis beneficiis, corporalibus et spiritualibus, quibus me sine meis meritis, imo ingratum affecisti; praesertim pro praeservatione a periculis, a peccatis gravibus et poenis meritis; pro custodia hujus diei, ad cujus finem me pervenire clementer indulxisti, maxime vero pro his N. N. —

Unam hanc a te nunc peto gratiam, ut mihi concedas lumen, defectus et peccata, quae ab ultimo examine commisi, agnoscendi, et ad securam quietem capiendam perfectae contritionis actu expiandi, ac me in futurum emendandi. (*Hic primo recogita, quomodo tua proposita matutina, praecipue circa fugam alicujus vitii particularis, vel exercitium virtutis cujusdam particularis sis exsecutus. Deinde: an e lecto surrexeris tempestive, mente ad Deum elevata, moribus verecundis; an preces matutinas ceterasque persolveris attente, reverenter ac ferventer; an missae interfueris debita cum devotione, decenti morum compositione, absque sensuum et animi evagatione; an studiis et reliquis actionibus vacaveris recta intentione, solerti applicatione, constanti sedulitate; an mensae accubueris praemissa oratione, et persoluta gratiarum actione; an conversatus fueris reverenter cum parentibus, magistris ac majoribus, amice cum condiscipulis ac aequalibus, benigne cum famulantibus, ac inferioribus; an diligenter vitaveris familiaritatem illicitam; socios malos, peccandi pericula et occasiones; an non omiseris preces consuetas, lectionem piam, frequentes aspirationes ad Deum; an non peccaveris cogitationibus superbis, vanis, impuris, invidiosis, iracundis aut suspiciosus cum temerario judicio, aut blasphemis etc.; an non protuleris verba jactatoria, impudica, scandalosa, irrisoria, mordacia, maledica, execratoria, blasphema, detractoria, calumniosa, contumeliosa, mendacia, ironica, sarcastica, falsa, simulatoria, aequivoca, adulatoria aut seductoria; an non fueris otiosus; an nihil boni, quod facere poteras, e. g. orationem, missam, concionem, vel opus caritatis omiseris; an pecuniam inutiliter non impenderis; an dies festos male non egeris; an jejunium, ad quod fors obligaris, non violaveris; an impudicus tecum ipso vel cum aliis, an intemperans in cibo et potu, segnis in rebus divinis,*

inobediens aut contumax non fueris; an nulli injuriam intuleris; an nemini quid surripueris; an alium non laeseris, in corpore vel honore; an scandalum non dederis; an alios non seduxeris an omnia officia status tui accurate expleveris; an actiones tuas ad laudem hominum tantum aucupandam, in finem minus decentem, vel debito tempore, loco modove non servatis, vel perfunctorie, absque attentione, aut hypocritarum more non peregeris; quomodo te gesseris domi, in ecclesia, in mensa, tempore studiorum, in via, solus etc.) **Misericordissime Deus!** licet indignus, cum serio tamen poenitentiae affectu veniam imploro, quod tam ingratus tibi hodie et alias toto vitae meae tempore vixerim. Dolco, quod te, summum Bonum ac omni amore dignissimum, tot peccatis offenderim. Utinam possem omnia delicta mea infecta reddere! Amore erga te statuo me deinceps emendare, et omnia, ad quae obligor, exsequi. Specialiter autem tua gratia fretus cavebo, ne labar in his N., et conabor magis in virtute proficere. Confirma hanc voluntatem meam per merita Filii tui, quae in satisfactionem pro peccatis meis tibi offero. Jube, quod vis, sed da, quod jubes, ut pie et juste vivam. — Auge in me fidem, spem et caritatem. Procul recedant somnia et noctium phantasmata; hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora. Salva me Domine vigilantem, et custodi me dormientem, ut pupillam oculi. Sub umbra alarum tuarum protege me. Dignare nocte ista sine peccato me custodire. Miserere mei, quem-

admodum spero in te. In te Domine spero, non confundar in aeternum. — Visita, quaeso, habitationem istam, et omnes insidias ab ea repelle. Angeli tui sancti habitent in ea, qui me in pace custodiant, et benedictio tua sit super me semper. —

Ad beatam Virginem Mariam.

O refugium peccatorum! Maria mater gratiae, mater misericordiae! Ego peccator et indignus servus ad te, matrem gratiae, recurro, tuum maternum patrocinium imploro. Tu es mater Salvatoris, sis etiam mater exulis; tu mater es iudicis, esto mater et peccatoris; tuo igitur Filio me reconcilia, tuo Filio me repraesenta, tuo Filio me commenda nunc, et praesertim in hora mortis meae. Amen.

Alia oratio.


In tuam maternam pietatem ac singularem custodiam commendo me hac nocte, o beatissima Virgo Maria! Et quoniam ego jam obdormiturus Deum meum laudare nequeo, tu Mater amantissima me supplere digneris, ita ut, quot pulsus cor meum hac nocte dederit, tot laudes Sanctissimae Trinitati pro me persolvas, et mihi indigno filio tuo benedicere velis. Amen.

*Ad sanctum Angelum Custodem et alios
sanctos Patronos.*


O dilectissime sancte Angele Custos!
O sancte Aloysi et omnes sancti Patroni
mei! Obsecro, hac nocte defendite me, et
incolumem servate, ac pro me dormiente
incessanter Deum laudate, mihiq̄ue vestram
benedictionem, quam humillime exopto,
largiri dignemini. Amen.

In nomine Patris etc.

*Poteris subungere: Confiteor etc., Psalmum: De
profundis etc., Pater noster, Ave Maria et Credo, —
Post preces vespertinas multum loqui non convenit. —
Lege aliquid e libro spirituali, si tempus tibi sup-
petit; asperge te aqua benedicta, si tibi ad manus
est; et exue te quam modestissime; Deus enim non
est procul ab unoquoque nostrum. Antequam dor-
mire incipias, occupa mentem tuam cogitando tem-
poris fugacitatem, et ora ad Deum, qui non dormitat,
neque dormit.*



SACRIFICIUM MISSÆ.


 Sacrificium hoc eximium et incomparabile Christus Dominus in extrema coena sub panis et vini speciebus instituit. Haec oblatio jam olim per varias similitudines, quarum omnium consummatio et perfectio est, figurabatur. Hoc sacrificium nonnisi ad finem mundi abolendum Scriptura testatur. Haec oblatio munda nulla vel indignitate vel malitia offerentium inquinari potest; atque judaicae gentis sacrificiis plurimis unice succedens, toto orbe terrarum ad celebrandum Dei et Redemptoris nomen offertur. Sancta piaque sacrificii missae frequentatio est medium praecipuum fovendae internae religionis, verae pietatis intimaeque tuae cum Deo unionis, si nimirum eidem non ex consuetudine atque veluti frigidus spectator adsis, sed secundum Christi scopum, ipsius passionis ac cruenti in cruce sacrificii bene memor, in hoc incruento sacrificio te totum Christo conformes, et cum simili mentis animique dispositione, cum fide viva, spe firma ac ardenti caritate, te tuaque Deo offeras. Id porro maxime fit, si secundum Christi exemplum, et cum ipso, perfecta animi submissione, divinae voluntati, tum bona largienti, tum mala permittenti, inprimis vetanti, aut praecipienti, te promptissime subjicias, si summa animi demissione Dei infinitam majestatem cum ipso adorans, cum

intima supremi in te creataque omnia divini domini recognitione, te tuaque omnia Deo in hunc finem sacrifices; si pro collatis in te, ac omne humanum genus, variis innumerisque beneficiis, cum Christo et per Christum, gratias agas, et in perfectam gratiarum actionem Christi merita Deo praesentes; si ob horum beneficiorum abusum et patrata peccata cum pio pudoris dolorisque affectu veniam a Deo per Jesum Christum petas, et filiali cum fiducia, cum firmo melioris vitae proposito merita Christi in satisfactionem offeras; si tum vitae emendandae, tum alias ad salutem utiles necessariasque gratias, Christi nomine et per ejus merita, pro te aliisque postules, atque pro animabus etiam in Domino defunctis divinam misericordiam exores, hosque actus omnes per Christum, et cum perpetuo ad Christum respectu exerceas.

Ante omnia ad Christi patientis, et se Deo Patri in cruce, et hic incruento modo offerentis, et ad similem tuimet oblationem cum ipso te invitantis exemplum et voluntatem animum advertite, atque ita per sanctam intentionem para. A missae initio cum sacerdote per confessionem doloremque de peccatis animum humilia, purga, et per sanctiora proposita Deo sacra. Ad Confiteor percutiens pectus in signum contritionis, imitare publicanum. — Ad Kyrie eleison, cum cordis affectu Dei misericordiam implora. — Per Canticum: Gloria in Excelsis etc. caelo terraque ad Dei adorationem invitatis, cum intimo amoris sensu Deum adora, lauda et per gratiarum actionem honorifica. — Verbis: Dominus vobiscum, sacerdos populum salutatur, ac ad devotionem excitat: cogita ejus cum populo unionem, illique te junge. — Collecta ordinarie continet gratiarum actionem et propositum. Fac et tu, quod facit sacerdos. Concluditur Collecta verbis: Per Christum Dominum nostrum, quia Christus suo nomine petitiones nostras Patri caelesti innotescere voluit. Ad epistolae Evangelii lectionem excitata viva fide, actisque pro doctrina caelesti gratiis, proposi-

tum secundum eam doctrinam vivendi renova, Deoque commenda. Ad lectionem Evangelii stando cum reverentia, promptum ad audiendum atque exsequendum verbum Dei te esse ostendis. — Credo continet essentialia doctrinae evangelicae. Recita illud, vel esto attentus, dum a sacerdote recitatur. Memento vero, fidem non verbis tantum, sed quam maxime operibus monstrari. — Ad Offertorium divini hujus sacrificii secundum omnes mox dictos fines, tum tui ipsius fac oblationem. Oblatio exterior signum sit oblationis interioris. Vita christiano digna gratissimum Deo sacrificium est, cor contritum et humiliatum non despicit. — Ad Lotionem manuum pete a Deo cor purum et manus puras, detersionemque omnium peccatorum tuorum, etiam levissimorum. — Praefatio est elevatio mentis ad Deo gratias agendas eumque adorandum. Acceptissima autem Deo laus, amor ipsius est et caritas fraterna. — Sub Canone pro pace ac bono tum ecclesiae, tum status ora. Petè quoque a Deo, ut intercessione et imitatione Sanctorum venire possis in partem triumphii ac gloriae eorum. — Sub duplici Memento pro vivis et pro defunctis, Dei clementiam per Christum exora. — Ad Elevationem pone tibi ob oculos, quid Christus in ultima coena fecerit; memento verborum institutionis tremendi hujus sacrificii; adora Christum realiter in altari praesentem; perpende insignem ejus in nos amorem, quo impulsus mortem crudelissimam pro salute nostra subiit, implora misericordiam ejus, vitamque tuam ei sacrificare, ignoscere inimicis, et ad extremum usque vitae halitum voluntatem ejus implere propone. Deinceps Oratione dominica cum sacerdote piissimo affectu dicta, et excitatis, qui fractioni hostiae, violentam Christi mortem significanti, missaeque precibus: Agnus Dei et Domine non sum dignus atque reliquis respondeant, piis actibus affectibusque, communica saltem spiritualiter. Demum post gratiarum actionem, renovato diem hunc sanctius agendi proposito, Dei gratiam et Benedictionem per Christi

merita pete. Si conceptis bonis propositis e missa discedis, tum demum veram, quam tibi sacerdos precatur, benedictionem retulisti. — Hoc similive modo instituta sacrificii missae frequentatio inter prima vitae sanctioris subsidia numerari meretur. Proinde non diebus solum dominicis ac festivis, sed quantum per negotia aliaque tibi licet, nulla die eidem interesse omittas, si virtutem Christumque sincere amas. Quod si gravissimum negotium, vel obedientia praestanda, aut infirmitas hoc tibi non permittant, sacerdoti populoque oranti spiritu saltem te junge. — Ceterum si huic sacrificio corpore tantum interesses, et illo durante huc illucque circumspiceres, cum aliis fabulareris, aut cogitationibus tuis vagareris, et ad ea, quae sacerdos operatur, non attenderes; privares te ipsum tum animi consolatione, tum remedio contra pericula et infirmitates, ac discederes ab eo aequè frigidus, prout ad illud veneras, fatigatus potius, utut exiguo temporis spatio, quam recreatus et accensus divini spiritus fervore. Quid etiam inhumanius christiano, quam ineffabile redemptionis suae beneficium irreverenter ac indevotè intueri! Quid hoc esset aliud, quam, ubi peccata forent expianda, novis conscientiam onerare peccatis? Absit, ut de te conqueratur Salvator: Quae utilitas in sanguine meo? Domum Dei, quam inhabitat Sanctus Sanctorum, decet sanctitudo. Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta caeli, ubi orat sacerdos, ac immaculatam hostiam, verum Deum et hominem, offert pro delictis et peccatis populi.

Oratio ante Missam.

Clementissime Pater, qui sic mundum dilexisti, ut Filio tuo unigenito non parceres, sed in passione ac morte acerbissima pro nobis omnibus eum traderes,

atque ejus oblationem tibi gratissimam, ad renovandum illius in nobis fructum, in ecclesia tua quotidie renovari velles: tribue mihi, quaeso, huic tam admirando et salutari divinae tuae potentiae, sapientiae et bonitatis mysterio tam attente, reverenter ac devote interesse, ac si in coenaculo illo, in quo Jesus Christus hoc Sacrificium novae legis instituit, vel in Calvariae loco, in quo se ipsum tibi pro totius humani generis salute in ara crucis immolavit, praesens forem. Offero tibi illud cum sacerdote ad majorem gloriam tuam; in contestationem supremi dominii tui, et dependentiae meae a te; in commemorationem passionis ac mortis Filii tui; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi hucusque collatis, atque in satisfactionem pro peccatis meis. Singulariter illud offero pro N., et pro hac gratia N. obtinenda; pro omnibus, pro quibus orare teneor; ad impetrandam defunctis requiem, vivisque gratiam te cognoscendi, amandi ac in aeternum fruendi in patria. — Credo in te, spero in te, amo te Deus meus, qui es omni amore dignissimus. — Doleo de omnibus vitae meae peccatis, proponoque firmiter nunquam amplius te offendere. Concede mihi gratiam tota mente hoc propositum exsequendi.

PRÆCES MISSÆ,
PROUT A SACERDOTE RECITARI
SOLENT.

Dum datur benedictio. Ante benedictionem. Sanctus, Sanctus, Sanctus; Sanctus semper Sanctus, Jesus in sanctissimo altaris mysterio.

Post benedictionem. Nunquam nos desere, Jesu dulcissime! Jesu dulcissime! nunquam nos desere.

Sacerdos cum ingreditur ad altare, signat se signo crucis, dicens: In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Introibo ad altare Dei. *Minister.* Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Psalmus 42.

Hunc psalmum David composuit exul a patria. Consolabatur se spe, reversurum se tandem in urbem Jerusalem, ibique se ad altare Deo sacrificia oblaturum. Exules a caelo, spe hujus verae patriae nostrae nos erigamus.

S. Judica me Deus, et discerne (*age*) causam meam de gente non sancta (*contra nationem improbam*), ab homine iniquo et doloso erue me. M. Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et adduxerunt

(*mihi duces sint*) in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua (*habitationem tuam*). M. Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui laetificat juventutem meam (*qui omni modo me exhilarat*). S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea et quare conturbas me? M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus. — S. Gloria Patri, et Filio et Spiritui Sancto. M. Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen. S. Introibo ad altare Dei. M. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam. S. Adjutorium nostrum in nomine Domini. M. Qui fecit caelum et terram.

In missis defunctorum, et in missis de tempore, a Dominica Passionis usque ad Sabbatum sanctum exclusive, omittitur Psalmus: Judica me Deus cum Gloria Patri, et repetitione Antiphonae; sed dicto: In nomine Patris, Introibo et Adjutorium fit Confessio, ut sequitur.

S. Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis fratres; quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaellem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos et vos

fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum. *M.* Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam aeternam. *S.* Amen.

M. repetit confessionem et *ubi a Sacerdote dicebatur*; vobis fratres et: vos fratres, *a ministro* dicitur, tibi Pater et: te Pater.

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducatur vos ad vitam aeternam. *M.* Amen. — *S.* Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. *M.* Amen. *S.* Deus, tu conversus vivificabis nos. *M.* Et plebs tua laetabitur in te. *S.* Ostende nobis Domine misericordiam tuam. *M.* Et salutare tuum da nobis. *S.* Domine exaudi orationem meam. *M.* Et clamor meus ad te veniat. *S.* Dominus vobiscum. *M.* Et cum spiritu tuo.

Dum sacerdos ascendit ad altare, dicit: Oremus, Aufer a nobis, quaesumus, Domine, iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dum sacerdos osculatur altare. Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

In missa solemni Sacerdos benedicit incensum dicens: Ab illo benedicaris, in cuius honorem cremaberis.

Introitus.

Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa Unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. — Ps. 8. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Gloria Patri etc. Benedicta sit etc.

S. Kyrie, eleison. M. Kyrie, eleison.
S. Kyrie, eleison. M. Christe, eleison.
S. Christe, eleison. M. Christe, eleison.
S. Kyrie, eleison. M. Kyrie, eleison. S.
Kyrie, eleison.

Gloria

(si dicendum est.)

Gloria in excelsis Deo; et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex caelestis, Deus Pater omnipotens; Domine Fili unigenite, Jesu Christe: Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Jesu Christe, cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

Sacerdos versus ad populum dicit:
V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Collecta.

Oremus. Omnipotens, sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

Hujus orationis loco poteris etiam hac aliave simili uti: Omnipotens, aeternus Deus, te suppliciter oramus, ut respicere digneris de excelso sanctuario tuo super congregationem nostram, et Ecclesiae tuae preces pro nobis omnibus ad te, sacerdotis hujus ministerio, fusas clementer acceptes et exaudias. Per Christum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Romanos c., 11.

O altitudo divitiarum (*profunditatem abditae et immensae*) sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia (*in-scrutabilia*) sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus! (*humanae rationi prorsus imperviae sunt divinae misericordiae et justitiae operationes.*) Quis enim cognovit sensum Domini? (*quis mentem Domini perspectam et exploratam habet, nisi cui revelarit?*) Aut quis consiliarius ejus (*consiliorum ejus conscius*) fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? (*quis Dei beneficentiam et gratiam meritis praevenit suis, ut vicem ei Deus reddat?*) Quoniam ex (*ab*) ipso (*cum*

potentia operante) et per ipsum (*cum sapientia omnia disponente*), et cum ipso (*cum bonitate gubernante*) sunt omnia: ipsi honor et gloria in saecula. Amen.

Epistolae hujus loco orare poteris: Deus, qui nunquam desinis nos indignos famulos tuos publico Ecclesiae tuae ministerio, apostolicis, propheticis, aliisque sacris doctrinis et monitis, ad cultum et amorem tui nominis excitare, et adversus mundi, carnis daemoneisque insidias praemunire: da, quaesumus, ut salutaria dogmata et monita ex animo semper amplectamur, eisque mores et omnem vitam nostram serio conformare conemur. Per Christum Dominum nostrum.

Graduale.

Dan. 3. Benedictus es Domine, qui intueris abyssos, et sedes super Cherubim. V. Benedictus es Domine in firmamento caeli, et laudabilis in saecula. Alleluja, alleluja. R. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis in saecula.

Si Graduale cantatur, meditare ea, quae lecta sunt ex Epistola.

Sacerdos ante Evangelium in medio altaris, dicit: Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito; ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. — Jube Domne benedicere. Do-

minus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.

In missa solemnī Celebrans benedicit incensum, ut supra. Deinde Diaconus genuflexus ante altare, dicit: Munda cor meum, ut supra, petitque benedictionem a Sacerdote, dicens: Jube Domne benedicere; ad quod Sacerdos respondet: Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties Evangelium suum. In Nomine Patris etc. — Pete suppliciter, ut lectio Evangelii, Deo miserante, tibi et omnibus circumstantibus prosit ad salutem.

Ÿ. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum c. 28.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo (*tanquam vicarii et legati mei*) docete omnes gentes (*et quos feceritis discipulos, initiate baptismo, aqua abluite*), baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; docentes eos servare (*universim et indiscriminatim*) omnia, quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi. (*Ne timeatis, infirmitatis vestrae consciū; vobis enim opportune adero autoritate, favore ac virtute in omnibus difficultatibus, tempestatibus et periculis. Nec*

vobis tantum, sed et successoribus vestris, in veritate fidei praedicanda, et declaranda, et in Ecclesiae meae regimine semper adero.)

M. Laus tibi Christe (qui per te ac Apostolos tuos Evangelium orbi praedicare, et incredulos verae fidei luce illustrare dignatus es).

Dum sacerdos osculatur Evangelium: Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

In missa solemnī haec verba dicit Sacerdos, dum Subdiaconus ei Evangelium osculandum defert.

Ad Evangelium sequentes preces, si vis, fundere poteris. Domine Jesu Christe, qui a Deo venisti magister, et viam Dei in veritate docuisti, atque hodie etiam per Evangelistarum scripta et praecones verbi tui docere non cessas: da nobis intellectum capacem salutaris doctrinae tuae. Accende affectum zelo sapientiae caelestis; doce nos facere voluntatem tuam, ne fides, quae ex auditu Evangelii est, ad culpam et poenam nobis cedat, eo quod sciverimus voluntatem tuam, neque tamen eam fecerimus.

Credo

(si dicendum est).

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum

Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum: et ex Patre natum, ante omnia saecula; Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum S., Dominum, et vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. — *In missa solemni cantata, dicto hoc Symbolo, uti poteris paraphrasi Symboli Apostolorum, ne inutiliter tibi fluat tempus, quo forte musica adhuc durat.*

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo. — Oremus.

Ad Offertorium.

Benedictus sit Deus Pater; unigenitusque Dei Filius, Sanctus quoque Spi-

ritus, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Renova attentionem ac respectum tuum. Sancta sancte tractanda sunt.

Ad oblationem Hostiae.

Suscipe sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis, offensionibus et negligentis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Dum Sacerdos infundit vinum et aquam in calicem. Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquae et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula Saeculorum. Amen.

Ad oblationem Calicis.

Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae majestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

Sacerdos inclinatus aliquantulum super altare, dicit:

In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.

*Benedicens oblata: Veni, Sanctificator, omnipotens, aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini prae-
paratum.*

In missa solemni Celebrans benedicit incensum, dicens: Per intercessionem beati Michaelis Archangeli, stantis a dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus benedicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Incensans oblata dicit: Incensum istud a te benedictum, ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.

Incensans altare dicit: Ps. 140. Dirigatur (veniat), Domine, oratio mea, sicut incensum (suffitus) in conspectu tuo: elevatio (elatio) manuum mearum (ut) sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis (ostium labiorum meorum serva), ut non declinet cor meum in verba malitiae (noli permittere, ut declinem in rem malam) ad excusandas excusationes in peccatis (ut scelera committam cum impiis: non vescar cupidis eorum.)

Reddens thuribulum, dicit: Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam aeternae caritatis. Amen.

Sacerdos lavans manus dicit: Ps. 25. Lavabo inter innocentes manus meas (*ab omni culpa vacuus sum*), et circumdabo (*frequenter adsum ad*) altare tuum, Domine: ut audiam vocem laudis (*ut vox mea laudes tuas sonet*): et enarrem universa mirabilia tua. Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae (*ubi sedem habet majestas tua*). Ne perdas cum impiis Deus animam meam (*ne me perdas ut peccatores*), et cum viris sanguinum vitam meam (*noli me vita privare ut sanguinolentos*). In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus (*qui scelera patrant, et muneribus corrumpuntur*). Ego autem in innocentia mea ingressus sum (*vitam agam inculpatam*): redime (*libera*) me, et miserere mei. Pes meus stetit in directo (*jam me servatum video*): in ecclesiis (*sacris coetibus*) benedicam te Domine. Gloria Patri etc. *In missis pro defunctis, et tempore Passionis in missis de tempore, omittitur: Gloria Patri etc.*

Dum Sacerdos in medio altaris sese inclinat: Suscipe Sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis, et ascensionis Jesu Christi, Domini nostri: et in honorem beatae Mariae semper Virginis,

et beati Joannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Sacerdos versus ad populum dicit: Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum, Patrem omnipotentem. *Responde cum ministro:* Suscipiat Dominus hoc Sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiae suae sanctae.

Sacerdos submissa voce dicit: Amen; *deinde subjungit orationem secretam.*

Secreta. Sanctifica, quaesumus, Domine Deus noster, per tui sancti nominis invocationem, hujus oblationis hostiam; et per eam nosmetipsos perfice munus aeternum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus.

Hujus Secretae loco dicere poteris orationem sequentem: Sacerdotes tui, Domine, induant justitiam; hic praesertim, qui modo adstat altari tuo, et orat pro nobis, ut parcas populo tuo, et non des hereditatem tuam in perditionem. Utinam sanctus esset, quoniam tu sanctus es, cui servit, ut puritate vitae praestet se dignum sacris altaribus ministrum, et maje-

stati tuae digne mereatur famulari! Per Dominum etc. *ut supra*.

Praefatio.

Per omnia saecula saeculorum. **R.** Amen. **V.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo. — **V.** Sursum corda. **R.** Habemus ad Dominum. **V.** Gratias agamus Domino Deo nostro. **R.** Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare; nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus. Qui cum unigenito Filio tuo et Spiritu Sancto, unus es Deus, unus es Dominus. Non in unius singularitate personae, sed in unius Trinitate substantiae. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu Sancto, sine differentia discretionis sentimus. Ut in confessione verae sempiternaeque Deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur aequalitas. Quam laudant Angeli, atque Archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim: qui non cessant clamare quotidie, una voce dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus,

Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt caeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. — Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in excelsis.

Canon Missae.

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta Sacrificia illibata, imprimis quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica: quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro N., Antistite nostro N., Imperatore nostro N. et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei Cultoribus.

Commemoratio pro vivis.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum. (*Sacerdote orante, pro quibus orare intendit, tu quoque ora: Parentum, fratrum, confessarii, magistrorum, eorum, per quos in viam salutis dirigor, benefactorum et amicorum meorum, omniumque, pro quibus orare teneor, qui se mihi singulariter commendarunt, N. N. eorum quoque, qui me contristarunt, quosve ego contristavi, offendi aut juvare neglexi.*) Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis

et incolunitatis suae, tibi que reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Infra actionem.

Communicantes et memoriam venerantes imprimis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum: Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias: diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris; ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui, Domini nostri Jesu Christi. *Nunc quam maxime attentus sis.*

Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas: et elevatis oculis in caelum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate. Hoc est enim Corpus meum.

Sub elevatione

vel silens adora Jesum Christum sub speciebus panis ac vini realiter praesentem, veniamque peccatorum ab eo pete, vel dic:

O salutaris Hostia, quae caeli pandis ostium, bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium. *Vel:* Ave verum corpus, natum ex Maria Virgine: vere passum, immolatum, in cruce pro homine, cujus latus perforatum vero fluxit sanguine; esto nobis praegustatum mortis in examine. *Vel:* Credo in te, o Jesu! adoro te; spero in te; amo te; doleo de peccatis meis. *Vel:* Jesu tibi vivo; Jesu tibi morior; sive vivo, sive morior, tuus sum.

Post elevationem Hostiae.

Simili modo postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes. Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni Testamenti; mysterium

fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. — Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.

Post elevationem calicis.

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatæ passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in caelos gloriosæ ascensionis; offerimus praeclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, Panem sanctum vitæ æternæ, et Calicem salutis perpetuæ. — Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justî Abel, et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. — Supplices te rogamus omnipotens Deus: jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ: ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumserimus, omni benedictione cælesti et gratia repleamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Commemoratio pro defunctis.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N., qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.

Sacerdos orat pro iis defunctis, pro quibus orare intendit. Fac similiter.

Ipsis Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas, te precamur; per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine misericordiarum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus, cum Joanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia et omnibus Sanctis tuis; intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. — Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedixis et praestas nobis; per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria.

Per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati audemus dicere: Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in caelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. *R.* Sed libera nos a malo. Amen.

Libera nos, quaesumus, Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris; et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis, da propitius Domine pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccatis simul semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus; per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen.

Pax Domini sit semper vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Dum Sacerdos particulam Hostiae immittit in calicem: Haec commixtio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. — Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. — Agnus

Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

In missis pro defunctis non dicitur: miserere nobis, sed ejus loco: dona eis requiem, et tertio additur: sempiternam.

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae: eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris; qui vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Si danda est pax, dicit: Pax tecum. R. Et cum spiritu tuo. In missis defunctorum non dicitur praecedens oratio.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas; qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam; qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

Amen. — Panem caelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Sacerdos hostiam manu tenens, dicit ter: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Communicans dicit:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Dum Sacerdos communicat sacramentaliter, communica saltem spiritualiter. Confitere Domino peccata tua, quae te participatione hujus mysterii indignum efficiunt. Excita vivam et veram fidem circa hoc Sacramentum, quae facile excitatur consideratione divinae potentiae, sapientiae, bonitatis et veritatis. Hinc nascetur spes. Quid enim neget Deus, qui se ipsum dedit? quid non poterit, etiam non praesens corpore, qui puerum Centurionis et plures alios etiam absens curavit? Denique ardenti amore ac desiderio aspira ad Christum, velut ad fontem vivum; ex quo qui biberit, non sitiet in aeternum. Opta cum ipso per virtutem corporis et sanguinis ita uniri, ut nunquam ab eo separeris. Pete tandem, ut spiritualis haec communio divina gratia prosit tibi ad salutem, non secus ac si sacramentaliter communicares. Hac ratione non sine magno fructu communicabis spiritualiter. Hunc in finem ora: En! adsto pauper et inops ad mensam tuam, Christe Jesu. Credo, te hic realiter esse praesentem, paratum ad me visitandum. Verum conscius infirmitatis meae et peccatorum meorum, non audeo sacramentaliter te suscipere; sed profiteor cum centurione, cujus servum, ut alios plurimos,

absens curasti, me non esse dignum, ut intres sub tectum meum. Munda, quaeso, animam meam, ab omnibus malis; sana, medice divine, infirmitates meas, uti sanare eas scis, potes atque vis. Orna me hac virtute N., et mox digna Corporis et Sanguinis tui perceptione sacramentali me refice.

Sacerdos quiescit aliquantulum in meditatione sanctissimi Sacramenti; tum dicit: Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Accipiendo calicem, dicit: Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Post sumtionem calicis: Quod ore sumsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Purificans se, dicit: Corpus tuum, Domine, quod sumsi, et sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis, et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta; qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Postcommunio.

Benedicamus Deum caeli, et coram omnibus viventibus confitebimur ei: quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Hujus Postcommunionis loco perpendere poteris verba Christi: Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me.

Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus. Proficiat nobis ad salutem corporis et animae, Domine Deus noster, hujus Sacramenti susceptio, et sempiternae Trinitatis, ejusdemque Unitatis confessio. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus; per omnia saecula saeculorum. Amen.

Vel utere hac oratione. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuae memoriam reliquisti; tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacramenta venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis etc.

Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Ite, missa est. R. Deo gratias.

In quibusdam missis loco: *Ite, missa est, dicitur:* Benedicamus Domino.

In missis defunctorum dicit Sacerdos: Requiescant in pace. *R.* Amen.

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta, ut sacrificium, quod oculis divinae majestatis tuae indignus obtuli, tibi sit acceptabile; mihi que et omnibus, pro quibus illud ob-

tuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sacerdos versus ad populum benedicit: Benedicat vos omnipotens Deus Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. R. Amen.

Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem. R. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum (*Unigenitus Dei Filius semper erat, est Patri coaeternus*). Omnia (*visibilia et invisibilia*) per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat (*tanquam in fonte*), et vita (*Deus verbum*) erat lux (*mentium*) hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. (*Aeterna Sapientia et Veritas lucet hominibus ignorantiae et peccati tenebris obsitis, et magna pars hominum peccatorum eam non percepit, infidelitatis et pravaram cupiditatum tenebris impredientibus.*) Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine (*Jesum esse Christum a Deo promissum*), ut omnes crederent per illum (*in Christum, ministerio et praedicatione Joannis*). Non erat ille lux (*increateda et immensa*), sed ut testimonium perhiberet de lumine, (*Lu-*

cis praeco, testis, solis justitiae praecursor. Ille solus) erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. (*Nullus homo sine ipso illuminatur lucē fidei et gratiae.*) In mundo erat (*assumta humanitate per incarnationem*), et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit (*carnales homines illi debitam reverentiam et obedientiam non exhibuerunt*). In propria (*in mundum a se conditum, quasi in domum suam*) venit, et sui (*domestici homines ab illo conditi*) eum non receperunt (*ut Dominum ac Redemptorem suum a Patre missum*). Quotquot autem (*sive Judaei, sive gentiles*) receperunt eum, dedit eis potestatem (*dignitatem, privilegium*) filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus (*Jesum esse filium Dei*), qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt (*fides in Christum per dilectionem operans, et regeneratio per Spiritum Sanctum efficit, ut Filii Dei nominemur et simus*). *Hic genuslectitur.* Et Verbum caro factum est (*Deus Verbum, ab aeterno subsistens, factus est homo, non desinens esse, quod erat, sed incipiens esse, quod non erat*) et habitavit in nobis (*nobiscum est conversatus*), et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis (*vidimus splendorem divinae majestatis in eo corporaliter inhabitantis,*


et in ejus mysteriis, transfiguratione, passione, resurrectione, ascensione ad caelum, doctrina et miraculis coruscantem; gloriam dignam Unigenito Dei). R. Deo gratias. — Adora Christum, Verbum Patris, gratias ei age, quod pro te Caro fieri voluerit. Roga, ut quam tibi in incarnatione, morte, resurrectione, et ascensione meruit adoptionem divinam, illam ad finem usque vitae gratia sua opitulante custodias.

In Missis defunctorum non datur benedictio, sed dicto: Requiescant in pace, dicit Sacerdos: Placeat tibi sancta Trinitas etc.; deinde legit Evangelium S. Joannis.

Post Missam.

Deus, qui mihi misero dedisti gratiam standi in conspectu tuo ad te glorificandum et praedicandum, condona mihi defectus durante hoc sacrificio a me commissos. Suscipe vitam et mortem unigeniti Filii tui, et per hanc concede mihi, ut vivam et serviam tibi omnibus viribus corporis, ac facultatibus animae. Respice, piissime Pater, proprium Filium tuum, qui pro me Caro factus est, quem ob peccata mea percussisti, quique ob haec tam impia tulit. Agat nunc, quaeso, officium mediatoris et advocati, ubi sedet ad dexteram tuam, et interpellat pro nobis.

Memento patientiae, caritatis et mansuetudinis ejus, et orantem me nomine ejus exaudire digneris, quia ipse dixit: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ne despicias facturam tuam. Amen.



AUDIENDI MISSAM MODUS ALIUS.

Oblatio Missae.

Prosterno me coram te, et adoro te Deum meum, hic mihi intime praesentem. Offero tibi hoc Missae sacrificium, cui devote interesse desidero, ad tuam gloriam et salutem animae meae; in memoriam ac venerationem acerbissimae passionis ac mortis Domini nostri Jesu Christi, pro vivis et defunctis, praecipue pro N. N. ad impetrandam quoque peccatorum meorum veniam, et gratiam ad salutem necessariam.

Domine! ne perdas, quaeso, animam meam, quam Filius tuus Jesus Christus pretioso suo sanguine redemit. Amen.

Ad Gloria.

Tibi Deo, supremo omnium rerum Domino, omnes adorationes, venerationes, gratia-

rum actiones et sacrificia laudis offero. Tibi uni omnis sit gloria, cui me devoveo. Veneror cum profundissima humilitate tremendam Majestatem tuam, et timeo, ne rejicias me a facie tua, ne subtrahas mihi gratiam tuam, ne ex aliquo peccato tibi hostis fiam. Et magis hoc timeo, quam ne punias me; magis timeo peccatum et offensam tuam, quam infernum. Sed tamen in ira tua ne corripias me, atque per merita Christi salvatoris mei supplico, ne unquam consentiam peccato, sed gratia tua adjutus te videre et amare merear in aeternum. Amen.

Ad Collectas.

Omnipotens sempiternae Deus! te suppliciter exoramus, ut respicere digneris de excelso Sanctuario tuo super me, parentes, fratres, sorores meas, Ecclesiaeque tuae preces, pro nobis omnibus sacerdotis hujus ministerio tibi prolatas, clementer acceptes et exaudias.

Ideo pro immensa tua misericordia largiaris nobis peccatorum nostrorum veniam, integritatem mentis, incolumitatem corporis, necessariam vitae sustentationem, pacem in diebus nostris, aëris temperiem, fertilitatem terrae, et quidquid sive ad animae, sive ad corporis salutem confert, tuaeque servit in primis gloriae. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Epistolam et Evangelium.

Recogita, qualiter Christus Dominus salutem animarum zelando ipsemet obambulabat loca et regiones, populum erudiendo, et viam salutis docendo.

Ad Credo.

Credo in te, Deum meum, unum in natura, trinum in personis, Creatorem ac Dominum meum, remuneratorem bonorum et vindicem malorum, ubique praesentem, immensum, infinitum, et humillimo corde te adoro.

Credo et in Jesum Christum, Filium Dei incarnatum, redemptorem meum in sanguine et morte sua. — Credo in Spiritum sanctum, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur. Admitto et veneror SS. Sacramenta, omnem doctrinam Ecclesiae catholicae; damno et rejicio omnes errores et dogmata, quae illa condemnavit. Opto, mi Deus, pro veritatibus fidei catholicae sanguinem fundere et mori, cujus authoritati me totum subjicio.

Ad Offertorium.

Suscipe, Sancte Pater, omnipotens aeternae Deus! hanc immaculatam hostiam, et cum illa totum cor meum, utinam immaculatum, omnes sensus et vires corporis, omnes facultates animae. Suscipe preces, vota et desideria mea, ut per hoc sacrosanctum Sa-

crificium exaudiri merear, per Christum Dominum nostrum.

Dignare, summe Deus, hanc oblationem, quam tibi Ecclesia tua catholica per Sacerdotem votis nostris accedentibus offert, placatus accipere pro cuncto populo tuo, quem acquisivisti pretioso sanguine dilecti Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Ad Secreta.

Domine sancte Pater, qui per Jesum Christum Filium tuum novi Testamenti novam oblationem docuisti, quam Ecclesia a sanctis Apostolis accipiens, in universo mundo offert tibi Deo, rerum omnium creatori et conservatori, proferens significante mysterio primitias ex tuis creaturis et donis panem et vinum, in carnem et sanguinem dilecti Filii tui mox consecranda, ut ea oblatione repraesentet illum, qui panis vivus de coelo descendens, dans vitam mundo, sanguine et aqua de latere profluentibus lavit nos a peccatis nostris. Digneris Domine Deus hanc misericordiam nobis elargiri, ut sicuti sacris hisce mysteriis assistimus, ita sanctissimae passionis, mortis, et omnium meritorum Christi in aeternum participes reddamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Praefationem.

Celsissime ac incomprehensibilis Deus, Rex et Domine, omni gloria, laude et adora-

tione dignissime! ego pulvis terrae — opus tamen manuum tuarum — in hoc sacro templo tuo te adoro, exalto et glorifico ob infinitas perfectiones tuas. Grates item, quas pro tenuitate mea concipere possum, maximas tibi rependo pro omnibus in me collatis usque ad praesens momentum beneficiis. Da, ut digne tibi semper ac ubique serviam, et post hanc vitam in templo gloriae tuae cum omnibus Sanctis tuis decantare valeam: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: pleni sunt coeli et terra gloria tua.

Post Sanctus.

Oro te, clementissime Pater, per Jesum Christum Dominum nostrum pro universa sancta Ecclesia catholica, pro concordia principum Christianorum, pro Episcopis, Ecclesiae tuae sanctae rectoribus, et pro cunctis in te credentibus, qui tuo amori se consecrarunt.

Ad Memento vivorum.

Praesta Domine, Rex aeternae, parentibus, fratribus ac sororibus meis, quicquid vides magis ipsis necessarium atque proficuum. Praesta innocentibus perseverantiam, vere poenitentibus indulgentiam, viduis et orphanis tutelam, pauperibus auxilium, peregrinantibus felicem reditum, lugentibus consolationem, bonis, ut in bonitate semper consistant, prave agentibus et delinquentibus, ut cito se ad meliorem frugem recipiant.

Obtestor te, Salvator dulcissime, per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per constantiam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virginum, et per intercessionem omnium Sanctorum, praecipue B. V. Mariae, et omnium, qui tibi ab omni aeternitate placuerunt; per te, Jesu Christe, qui agnum paschalem Agnus ipse jamjam pro nobis immolandus cum discipulis comedisti, corpus tuum et sanguinem sub speciebus panis et vini sumenda eisdem tradidisti, atque id ipsum a nobis in tuae dilectionis et nostrae redemptionis memoriam fieri praeci- piens instituisti.

Oro te, bone Jesu, ignosce omnibus iniquitatibus meis, et quidquid negligentiae, quidquid delicti circa hoc tremendum et sanc- tissimum Eucharistiae Sacramentum unquam admisi, id deleas charitate, qua te nobis do- nasti. Accende cor meum flagrantissimo hujus divini Sacramenti amore et desiderio.

Ad Elevationem.

Ave verum Christi corpus, natum de Maria Virgine, vere passum et immolatum in cruce pro hominibus; esto nobis praegustatum in mor- tis examine. O dulcis, o pie, o clemens Jesu! miserere mei. Amen.

Salve, pretiosissime sanguis, de latere Domini mei Jesu Christi profluens, et totius veteris et novae culpae maculas diluens, ab- lue, sanctifica et custodi animam meam in vitam aeternam. Amen.

Post Elevationem.

O Jesu, Fili Dei, Deus meus infinite amabilis, qui amore mei crucifigi, et in cruce mori dignatus es. Adoro, amo, glorifico te cum Patre et sancto Spiritu omni possibili affectu, et ex animo desidero, ut adoreris, ameris et glorificeris infinites ab omnibus et in omnibus, super omnia, nunc et semper et in aeternum.

Credo in te, spero in te, et amo, quidquid tu amas, propter te. Doleo pure propter te, quod unquam offenderim te. Ignosce, indulge, supple per te. En ex hoc momento paratum cor meum ad omnem nutum tuum. Tuus sum, eroque in aeternum. Posside me, et tuae voluntati penitus conforma me.

Pater, respice in faciem dilecti Filii tui, quem tibi in sacrificium laudis, gratiarum actionis, et propitiationis offero. Et per illius lacrymas, sudorem et sanguinem, per gemitus et suspiria, per labores et obsequia, per dolores et supplicia, per infinita ejus merita miserere mei et omnium, pro quibus mortuus est, et gratiam nobis largire, te perfecte semper amandi, tuam sanctissimam voluntatem amplectendi et exequendi in tempore et aeternitate.

Ad Memento defunctorum.

Per eundem dilectum Filium tuum miserere, misericordissime Pater, animarum fidelium defunctorum, praecipue N. N. mihi peculiariter

commendatorum, pro quibus me vis orare, veniam et requiem aeternam eis indulgendo, ut te in aeternum benedicant, laudent, glorificent, cui debetur omnis honor et gloria in saecula saeculorum.

Ad Pater noster.

Dicta cum Sacerdote oratione dominica subjunge:

Spem meam nullibi, nisi in te, Deus meus, repono, atque tuam Bonitatem in principio laetitiae meae statuo, de cujus manibus salutem et omnia expecto, oculosque meos in illis solis fixos teneo; meis autem viribus, laboribus et virtutibus non fido, sed nonnisi meritis dulcissimi Jesu mei, ex quibus spero remissionem peccatorum, in tua gratia perseverantiam, victoriam tentationum, et quae in Oratione dominica ab illo petere edoctus sum.

Ad Agnus Dei.

Excita in te desiderium sumendi corporis Christi parum subsistendo, et postea subjunge:

Piissime Domine Jesu! ego ingratisissimus peccator, vermis et pulvis terrae, desidero te nunc suscipere spiritualiter, quia dignus non sum, ut intres sub tectum meum sacramentaliter. Propitius esto mihi peccatori, et aufer a me, quidquid odisti in me; praepara tibi gratam et dignam habitationem in me. Utinam, Domine, utinam ardentissimo tui desiderio et amore

flagrarem, tibi que perfecte placerem. Ecce, renuntio omnibus extra te; veni in cor meum, veni, et pasce te ipso animam meam, eamque gratia tua reple. Amen.

Ad Domine non sum dignus.

Domine, non sum dignus propter infinitam Majestatem tuam — propter maximam ingratitude meam — propter innumera peccata mea — ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, passionis memoria recolitur, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

Pia suspiria.

Anima Christi, sanctifica me,

Corpus Christi, salva me,

Sanguis Christi, inebria me,

Aqua lateris Christi, lava me.

Passio Christi, conforta me,

O bone Jesu, exaudi me,

Intra vulnera tua absconde me,

Ne permittas me separari a te,

Ab hoste maligno defende me,

In hora mortis meae voca me,

Et jube me venire ad te,

Ut cum Sanctis et Electis tuis laudem te

In saecula saeculorum. Amen.

Ad Collectas.

Munda quaeso Domine, animam meam a malis ejus et imperfectionibus; roboram eam coelesti fortitudine, et ornam eam virtute. Da mihi hoc semper desiderare et velle; quod tibi magis acceptum est. Fiat in omnibus et ubique semper voluntas tua. Da mihi omnibus mori, quae in mundo sunt; da mihi amare contemni propter te, et nesciri in hoc saeculo, ut in te uno, summo et aeterno bono, super omnia desiderato sit defixa et immobiliter radicata mens mea et cor meum. Amen.


Ad Benedictionem.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super me, parentes, fratres, sorores, et omnes Christi fideles, et maneat semper. Amen.

Omnipotens, aeternae, immense, misericordissime Domine! In tuo conspectu steti, et effudi animam meam. O quid non debeo tibi laudis? quid glorificationis? Benedic anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

O Deus meus, amo te, quia fecisti me, quia creasti me, quia ad te direxisti me; da, ut nunquam amem aliquid eorum, quae fecisti propter me, nisi solum unum te. Sed, o Deus, illuminatio mea et salus mea, non solum, quia creasti me, amo te; verum etiam, quia rationem et intellectum dedisti mihi, ut cognoscam

te, et cognoscam me; quia et aliam lucem mihi dedisti, quando per domum fidei te mihi revelasti. Per hanc lucem agnosco te unum verum Deum, Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Agnosco liberalissimum bonorum remuneratorem, et justissimum malorum vindicem. In hac luce ostenditur mihi, o Pater aeternae, immensa pietas et inaestimabilis charitas tua, qua, ut servum liberares, Filium tradidisti. In hac luce innotescit mihi Filii tui ineffabilis misericordia, qua pro me redimendo factus homo, crucis supplicium subire non dubitavit. Relucet mihi admiranda Spiritus sancti bonitas, cujus gratia in cor meum diffusa haeredem tuum et cohaeredem Filii tui me fore confido. Pro his omnibus, quid tibi Deo meo rependam, nisi ut amem te, et mandatorum tuorum nunquam obliviscar. Amen.



SACRAMENTUM
POENITENTIAE.

Parabola de Filio prodigo,
Luc. XV., 11 — 24.

Lectio pro die Confessionis.

Homo quidam habuit duos filios, et dixit adolescentior ex illis (*minus sapiens, mente inconstantior, ad malesanam aspirans libertatem*) patri: Pater, da mihi portionem substantiae meae, quae me contingit (*ratam meam partem bonorum tuorum, quae ad me reditura est in partitione haereditatis*). Et divisit illis substantiam (*facultates suas inter illos partitus est*). Et non post multos dies, congregatis omnibus (*quae a patre acceperat*) adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam (*a paterna domo longe dissitam*), et ibi dissipavit substantiam suam (*bona sua dilapidavit*) vivendo luxuriose. Et postquam

omnia consummasset (*consumsisset*), facta est fames valida in regione illa, et ipse coepit egere (*ad extremam redactus est egestatem, ita ut ingravescente annona victus ipsi deficeret*). Et abiit, et adhaesit uni civium regionis illius (*operam illi suam ad quaecumque ministerium offerens*). Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos (*quo nullum erat vilius servitium*). Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant (*de cibis vilissimis*) et (*in summa annonae difficultate*) nemo illi dabat (*ad saturitatem*). In se autem reversus (*ad sanam mentem rediens, pristinaeque poenitens insipientiae*) dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus; ego autem hic (*ad vilissimam et miserrimam servitutem redactus*) fame pereor! Surgam, et ibo (*veniam exoraturus*) ad patrem meum, et dicam ei: Pater! peccavi in caelum (*in Deum, cujus caelum sedes est*) et coram (*in*) te (*degeneri conversatione*): jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me (*habe me in domo tua*) sicut unum de mercenariis tuis. Et surgens venit (*itineri se accinxit*) ad patrem suum. Cum autem adhuc longe (*a paterna domo*) esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens (*benigne praeveniens eum*) cecidit super collum ejus (*tenero amplexu affectu*) et (*in signum reconciliationis*) osculatus est eum. Dixitque ei filius (*prout corde conceperat*): Pater! peccavi in caelum et coram te, jam non sum dignus vocari

filius tuus. Dixit autem pater (*immemor injuriarum, memor clementiae*) ad servos suos: Cito proferte stolam primam (*pristinam, quam ante gesserat, vestem honoris, et filiis peculiarem*), et induite illum, et date annulum in manum ejus (*signum ingenuitatis et dignitatis*), et calceamenta in pedes ejus (*quibus adversus offendicula muniatur*). Et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur (*lautius et hilarius solito convivium parate*), quia hic filius meus mortuus erat (*mihi*), et revixit (*ipsum recuperavi*): perierat (*perditus erat*) et inventus (*mihi restitutus*) est.

Adolescentia ad vitium maxime lubrica est. Habet enim pueritia innocentiam, senectus prudentiam, ipsa vicina adolescentiae juvenus bonae existimationis intuitum, et verecundiam delinquendi. Adolescentia sola est invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis. Tunc maxime calor corporis fervet, et aestu sanguinis vaporantis ignescit. Quae major hominis insipientia, quam divinae dominationis imperio, obedientiae jugo eximi velle, sui juris esse, suo arbitratu vivere, a se ipso regi! Vae adolescenti, si superbum illud cordis desiderium exaudiens, illum sibi ipsi relinquat Deus, ac propriae dimittat voluntati! Quam levis, quam improvida et inconstans est ejus voluntas, nisi a suprema, sapientissima ac immutabili Dei voluntate regatur! Cum ejus directionem et moderamen excussit, perdita est, quamvis sana ac robusta; quid nunc eveniet, si ab ejus imperio se

subtrahat, cum infirma est, caeca, languens ac invalida? — Substantia Dei est omne, quod possidemus; quod vivamus, sapiamus, cogitemus et loquamur. Omnium donorum et talentorum usus libero tuo arbitrio commissus est, ut virtus et meritum locum haberent. — Primus tuus gradus ad malorum cumulum, a Deo recessus est. Regio longinqua, oblivio est Dei. — Luxuria est inimica Deo, inimica virtuti; perdit omnem substantiam patris, et ad praesens voluptate deliniens, futuram non sinit cogitare paupertatem. — Qui recedit a fonte, sitit; qui recedit a thesauro, eget; qui recedit a sapientia, hebetatur. Quanta fames in corde, cui deest cibus caritatis! — Nulla durior, foedior, miserabilior servitus, peccati, carnalium cupiditatum ac daemonis servitute. — Peccator famem suam pascit foedis desideriis; sed famem non explet, magis inflammatur cupiditas. — Voluptates, libri obsceni, amatoria comaedorum carmina, sunt veluti cibus immundorum animalium in luto se volutantium, et in terram semper pronorum. — Vexatio dat, ut ita dicam, intellectum. — Primus ad conversionem peccatoris gradus est, extremae suae miseriae consideratio, et comparatio infelicissimi status sui cum felici statu justorum. — Secundus conversionis gradus est, propositum renunciandi peccatis, illaque et occasiones illorum sincere et absque mora deserendi; bona et non ficta voluntas ad Deum redeundi, paternae illius bonitatis intuitu; quo in spem veniae peccator erigitur. — Tertius conversionis gradus est, odium et detestatio peccati ex amore Dei concepta, qua

peccator illi, ut summo bono, displicuisse dolet, ac peccatum humiliter confiteri proponit. — Dei oculos nullus usquam refugit. — E peccato surgere, et ad Deum redire toto corde non tardat vere poenitens. Conversionis proposito statim opus adjungit. Eo majori fiducia venit, quo majori dolore de patris offensa compunctus est. Deum fide quaerens, per dilectionem operante, sibi mox invenit esse praesentem. — Certant in animo poenitentis humilitas et fiducia, verecundia et amor. Filii nomine et privilegiis indignum se fatetur; et tamen Deum Patrem confidenter appellat. — Quam misericors Deus, quam pius, qui nec offensus patris nomen dedignatur audire! — Quo magis se deprimit peccator, eo majoribus gratiis a Deo comulatur. — Peccator reconciliatus sacrificii Christi fit particeps, carne ejus nutritur, cujus communio sigillum est reconciliationis; gustat et videt, quam svavis sit Dominus omni speranti in eo. Exhinc vitam agit hominis novi, hominis a morte peccati redivivi. Nec mundo vivit amplius, in quo perditus est; nec peccato, quod ipsi mortem attulit; nec sibi ipsi, qui nec se ipsum invenire perditum, nec mortuum resuscitare valuit; sed Deo, qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

INSTITUTIO DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Jesus Christus Sacramentum Poenitentiae instituit, cum a mortuis suscitatus sufflavit in discipulos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt. Finem hujus institutionis alium non habuit, quam ut per sacerdotis absolutionem peccata nobis remissa esse confideremus, conscientiaeque nostrae pacatiores redderentur. Vox itaque sacerdotis, peccata legitime condonantis, accipienda tibi est tanquam vox Christi, qui ait paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Hoc Sacramentum omnia peccata tua post baptismum voluntate vel actione commissa tollit; restituit te in gratiam Dei, et jungit te cum eo summa amicitia. Si illud sancte et religiose susceperis, maximam conscientiae pacem et tranquillitatem cum summa spiritus jucunditate consequeris. Nullum est enim tam grave et nefarium scelus, quod Poenitentiae Sacramento non deleatur. Magna igitur alacritate illud suscipito.

Ut autem hoc rite fiat, examina conscientiam tuam. Indaga, quae peccata ab ultima tua confessione, cogitatione, verbo, opere ac omissione, contra praecepta Dei et Ecclesiae, contra proximum aut temetipsum commiseris; et an peccatorum alienorum participem te non reddideris. Revoca in memoriam omnia peccata, quoad eorum malitiam, omnesque malos effectus. Quomodo enim de peccatis tuis dolere, eaque

exacte confiteri posses, si ea non agnosceres? — Quantum temporis huic examini impendendum sit, praescribere quidem non possum; serio autem examen hoc instituendum, eaque diligentia, quae negotii scopo gravitaeque, peccatorum item numero, variae speciei, et vitiosi status durationi congruat, illud tractandum esse, facile vides. Quod tum vel maxime necessarium est, dum de peccatis agitur, quae radices sunt aliorum, quibus confessarius statum animae tuae magis agnoscit, quae magis nocent bono communi, quae turbant caritatem, quorumque pravum habitum te contraxisse nosti. Si totam vitam ante actam discutere cogitas, servient tibi, quae de Decalogo, de praeceptis Ecclesiae, et de peccatis capitalibus immediate sequuntur.

Praeceptum 1. Ego sum Dominus Deus tuus; non habebis Deos alienos coram me. — *Contra hoc praeceptum peccat quis: infidelitate, dubiis voluntariis contra fidem, superstitione, somniis, auguriis, desperando vel praesumendo de misericordia Dei; contemptu ecclesiasticae potestatis; componendo, legendo, retinendo aut spargendo libros prohibitos; negligentia in addiscendis articulis ac mysteriis fidei scitu necessariis; fidem externe non profitendo, dum de ea a publica potestate interrogatur; omittendo doctrinam fidei et mora docere suae curae commissos; etc.*

Praeceptum 2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. *Contra hoc praeceptum peccatur: nomen Dei in vanum assumendo, blasphemando, murmurando contra Deum, pejerando, perjurium causando; non respondendo ad sensum ac*

mentem judicis interrogantis in casibus, in quibus quis respondere tenetur; irreverentia afficiendo Scripturam sacram, imagines sacras, reliquias sacras; sacrilege confitendo vel communicando etc.

Praeceptum 3. Memento, ut diem Sabbati sanctifices. (Huc etiam reduci possunt praecepta Ecclesiae.) *Contra hoc praeceptum peccat: diebus dominicis et festivis missam et concionem sine gravi ratione non audiens, vel iis durantibus voluntarie distractus aut confabulans; de praeceptis Dei et Ecclesiae contempnim loquens; opera servilia absque legitima causa exercens; alios impediens, ne sacrificio missae vel concioni intersint; sine dolore aut serio emendationis proposito confitens, vel peccatum grave in confessione deliberate omittens; in statu peccati mortalis communicans; tempore quadragesimae, in vigiliis, et aliis interdictis diebus sine justa causa saepius comedens, aut in secunda refectioe excedens; dictis diebus, vel etiam die veneris aut sabbati, carnem comedens, semel in anno communicare vel confiteri omittens etc.*

Praeceptum 4. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. — *Contra hoc praeceptum peccat quis: fovendo odium seu aversionem erga parentes vel superiores; eos contemnendo verbo aut facto, eisdem indignando, contradicendo, mortem vel malum optando aut de eo gaudendo; verbis injuriosis eos afficiendo; prohibitionem eorum transgrediendo, vel simulate obediendo; ad eos percutiendos manum aut aliud instrumentum levando; negligendo orare pro ipsis, aut eorum testamentum non exsequendo etc.*

Praeceptum 5. et 8. Non occides. — Non loqueris contra proximum tuum falsum te-

stimonium. *Contra haec praecepta peccat: se ipsum vel alium occidens aut mutilans, aut aliud malum corporis sibi aliive inferre intendens vel proponens; in mortis periculum absque causa sufficiente se conjiciens; inordinata vita aut illicitis voluptatibus nocumentum sanitatis sibi causans; impatiens ob sinistrum rei successum; odium vel inimicitiam erga alium habens; vindictam nutriens; malum in bonis corporis, aut honoris vel famae inferens vel optans; temerarie de proximo judicans; alteri imprecans; alterum calumnia afficiens vel mordacibus verbis lacessens; falsum testimonium ferens contra proximum; mendacium proferens, susurratione discordiam causans; libellum famosum componens vel spargens; scriptis, signis aut factis laedens alterius famam, vel honorem; alterius literas injuste aperiens et legens; aliquid sub secreto sibi commissum cum alterius praejudicio revelans; negligens sanitatem et vitam suam conservare, vel media ordinaria pro ea applicare; pauperi in necessitate constituto non succurrens; in periculo mortis aut afflictione positum, cum potest, non juvans; inimico non ignoscens; detrahentes vel calumniantes, quamvis posset, non corrigens; eos libenter audiens, famam ablatam non restituens etc.*

Praeceptum 6. et 9. Non moechaberis. — Non desiderabis uxorem proximi tui. *Contra haec praecepta peccatur, inhaerendo impuris cogitationibus; desiderio peccandi; turpibus cantilenis; obscoenis sermonibus prolatis, vel animo lascivo auditis; pingendo, sculpendo, efformando figuras inhonestas; scribendo, componendo, legendo, retinendo, portando quaecunque ad luxuriam incitantia etc.*

Praeceptum 7. et 10. Non furaberis. — Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non

asinum, nec omnia quae illius sunt. — Contra haec praecepta peccatur: injusto modo desiderando alterius bona; mendacio, furto, rapina, sacrilegio, deceptione in lusu, pondere aut mensura; venditione mercium aut rerum inutilium, corruptarum aut defectuosarum pro bonis, usura; contractione debitorum, quibus solvendis quis se imparem futurum praevидit; tuendo in iudicio causam injustam, cognitam ut talem; furando, surripiendo, subtrahendo aut dissipando res in praejudicium aliorum; pretium justo majus exigendo; injusta bonorum retentione aut emtione; res furto ablatas recondendo; contractum initum non servando; solutionem vel omnino non praestando, vel eam nimium protrahendo; inventa domino noto, vel quem quis invenire facile posset, non restituendo; defraudando quemdam, vel ei alio modo damnum inferendo, vel illatum non resarciendo etc.

Peccata capitalia sunt: Superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira et acedia. **Superbia** peccas, si immoderate cupis excellentiam propriam; si immodice times displicere hominibus; si laudem humanam unice desideras; si vane tibi complaces in vestitu, nobilitate, ingenio, forma, dicto factoque aliquo; si delato honore nimium laetaris, tristarisve contemtu; si te pudet humilis conditionis parentum tuorum; aliorumque naturae aut fortunae defectuum; si elatus superioribus te non subjicis, si quaeris officium, ad quod es inhabilis; si alios contemnis; si de opere malo gloriaris; si ex hypocrisi virtutem simulas; si veritatem impugnans, ne errasse vel minus doctus videaris. — **Avaritia** peccas; si tam inordinate appetis pecunias vel res temporales, ut pro iis acquirendis, augendis vel conservandis praeceptum aliquod transgrediaris, vel transgredi paratus sis; si nummos tenaciter retineas; si illiberaliter parce eos erogas; si abjecto moerori de amissis indulges. — **Luxuria** quomodo

peccare possis, dictum est superius de peccatis contra praeceptum sextum et nonum Decalogi. — **Invidia** peccas, si de alterius humiliatione, calamitate aliove malo gaudes, aut ejus honore, bono et felicitate tristaris. — **Gula** peccas, si jejunium praescriptum violas; si excedis cibo aut potu. De peccatis, quae committuntur **ira**, sermo fuit superius in praecepto quinto Decalogi. **Acedia** denique peccas, si tepide ac somnolenter preces matutinas vel vespertinas, precesve ante vel post mensam persolvis; si lectionem spiritualem, sacrificium missae, verbum Dei, examen vespertinum, sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae aliaque pietatis exercitia nauseas; si languide status tui officia exples; si tempus otiose vel inutilibus occupationibus consumis etc.

Peccati alieni reum te reddis: consilio, jussione, consensu, irritatione, laudatione seu adulatione; taciturnitate, conniventia, participatione, defensione ac malo exemplo.

Examinata conscientia toto corde vehementissime, et super omnia dole de cunctis peccatis, praesertim gravibus, commissis; eaque detestare non timore gehennae promeritae aut caeli amissi, vel ob foeditatem peccati, sed sincero amore erga Deum offensum, omni amore dignissimum. Hic dolor justificat etiam sine confessione, quando non est copia confessarii, dummodo desiderium habeas data occasione omnia peccata confitendi. — Nec desinet esse vera contritio, etsi dolorem tantum non sentias de peccatis, quantum de rebus externis amissis. Ad singula peccata mortalia, aut ad singulas saltem diversas peccatorum species proprium contritionis dolorem adhibere perquam utile est. Neque tamen unquam hac in re

desperes de summa Dei bonitate ac clementia. Is enim, cum salutis nostrae cupidissimus sit, peccatorem paterna caritate amplectitur, simul atque ille se colligit, et universa peccata sua detestatus, quae deinde alio tempore, si facultas fuerit, singula in memoriam reducere ac detestari in animo habeat, ad Dominum se converterit. — Assvesce elicendae saepius contritioni, praecipue dum Sacramentum suscipere intendis, dum in periculo mortis constitutus es, et dum vespere examen conscientiae instituis. Magis autem de affectu veri amoris quam de verbis sis sollicitus.

Noli autem fidere elicitali contritioni, quam emendatio non sequitur. Deus non irridetur. Poenitentiam certam non facit, nisi odium peccati et amor Dei. Quid juvaret te dicere, te peccasse, si adhuc te delectaret peccare? Accusaretur anima, non sanaretur; pronuntiaretur offensa, non tolleretur. Poenitentiam veram agis, si firmissime tibi proponis non amplius peccare; si perpetrata mala plangis, et plangenda non perpetras; si ita converteris, ut non revertaris; si te sic poenitet, ut peccata non repetas. Bonus quidem, sed et justus est Deus. David, Manasses, Peccatrix, Petrus, Latro, Paulus, per poenitentiam Deo reconciliati, num in pristina peccata relapsi sunt? Fili, peccasti? dicitur in sacra Scriptura, non adjicias ultra. — Vade, ait Jesus mulieri in adulterio deprehensae, et jam amplius noli peccare; atque paralytico curato: Ecce, inquit, sanus factus es, jam noli peccare. — Qui amico, quem injuria affecit, reconciliari vult, et doleat, oportet,

quod ei injuriam intulerit, et diligenter reliquo tempore provideat, ne qua in re amicitiam laedat. Quare fac universale, determinatum, firmum et efficax propositum peccata vitandi; fuge omnem occasionem in ea labendi: si quid alteri abstulisti, illud restituas, necesse est: itemque alicujus aut commodi aut officii compensatione illi satisfacias, cujus dignitatem aut vitam dicto factove violasti. Non enim remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. — Quidquid injuriarum ab altero acceperis, id totum remitte et condona. Si non dimiseritis hominibus, monet Salvator noster, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Si cuiquam fuisti scandalo, praeluceas ei et bono exemplo. Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.

Ut autem peccati odium in te excites, considera tum summam illius foeditatem et turpitudinem, tum gravissima damna et calamitates, quas affert. Nam Dei benevolentiam, a quo maxima bona acceperas, longeque majora expectare licet, a te alienat, et te summorum dolorum cruciatibus perpetuo afficiendum sempiternae morti addicit. — Ut adminicula salutaris contritionis servient tibi: distincta notitia sanctitatis, justitiae et misericordiae Dei; humilis fervensque oratio ad spiritum poenitentiae impetrandum; meditatio novissimorum aliarumque veritatum, ad animum a peccato avertendum et ad Deum convertendum utilium; usus tandem formularum contritionis et propositi; qua tamen in re caveas, ne earum fors recitationem pro ipsa animi contritione et proposito habeas.

Quod **CONFESSIIONEM** tuam attinet, haec sit integra, necesse est. Confessarius totum statum tuum, quantum ad prudens ferendum iudicium et ad officium iudicis, doctoris ac medici explendum sufficiat, perspicere debet. Omnia itaque peccata gravia (dices tamen in confessione recte ac utiliter peccata etiam venialia), quae post diligens examen tibi in mentem veniunt, quoad numerum, speciem et circumstantias, speciem mutantem vel aggravantes, quantum possibile est, exprimi debent. Sufficit vero numerum cum specie circiter significare, aut certe peccandi consuetudinem, tempus et frequentiam declarare. Neque enim necessarium, imo ne consultum quidem est, ut anxia vel curiosa nimis, lubricorum praesertim peccatorum, investigatio, quae tibi periculum creare valeat, fiat. — Quin dubia etiam peccata, de quibus scilicet merito dubitas, vel an gravia sint, vel an iam confessioni sint subjecta, sub dubio sacerdoti expone; cui item interroganti peccandi consuetudinem et occasionem, atque statum moralem, quantum ad iudicium ferendum et ad medicamentum praescribendum opus putaverit, candide aperies. Non enim sanatur aeger, qui non omnia lethalia corporis sui vulnera patefacit medico vel chirurgo. — Confitere humiliter. Exemplo tibi sint peccatrix pedibus Christi provoluta; filius prodigus ad pedes patris sui prostratus, et publicanus non audens oculos in caelum attollere. Humilibus Deus dat gratiam. — Confitere sine mendacio, sine simulatione, sine verborum ambiguitate. Peccata excusare non est confessio, sed de-

fensio, nec placat, sed provocat. David commisso peccato non attulit excusationem, sed dixit: Peccavi Domine! — Confitere sine eorum, quae ad rem non pertinent, admixtione; maxime si iis alii incusari et infirmari possent. Tam enim in confessione, quam extra illam honori aliorum parcere teneris. — Confitere sine oris verbique impudentia. Confessio ingenua adducit gloriam et gratiam. In peccatis, quae commisisti, confitendis, Deum duntaxat, non hominem formides. Damnareris tacitus, qui posses liberari confessus. Cur erubescas confiteri, quod facere non erubuisti? An non melius est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die iudicii coram tot millibus hominum gravi repulsa denotatum tabescere? Sacerdos peccator est, sicut tu: cur peccator peccatori non confitearis? Quo magis candide egeris, tanto majori te complectetur amore; pandis enim illi ea, quae, excepto Deo, ceteros omnes latent. Quo sincerior fueris, tanto magis tibi condolebit, tantoque promptius tibi mederi studebit. Tum eum ad silentium strictissimum de peccatis sibi e confessione notis, gravissimis obligari poenis, utique cognitum tibi est. Nec verbo, nec signo, nec alio quovis modo prodit peccatorem. — Et si dedita opera peccata gravia non confitereris, novo scelere te obstringeres, confessionem repetere tibi necesse foret, teque ipsum illius peccati reum accusare, quod Sacramenti Poenitentiae sanctitatem confessionis simulatione violaveris. — Monita confessarii humili animo audias, atque ad remedia aliaque ab eo praescripta adhibenda promptum te prae-

beas. — Absolutio coram Deo valitura non pendet ab arbitrio confessarii: eam igitur juste denegatam aut dilatam non tentes variis modis extorquere ac veluti suffurari. Quid prodest absolutio sine studio emendationis?

Insignis prorsus est utilitas, quam e confessione rite peracta trahere potes; virtute enim Sacramenti et per potestatem clavium operatur justificationem tuam; obtinendae veniae majorem tibi securitatem praestat; tui ipsius cognitionem promovet; animum tuum salutari pudore et peccati odio afficit; conscientiam tuam in ordine retinet; ad obeunda officia tua admoneris; peccatorum occulte serpentium luem minuit et exstinguit; ad inveteratas malas consuetudines emendandas, et ad peccati occasiones certius declinandas maximum habet pondus; ipsa peccata occultissima pudendaque confitendi verecundia, delinquendi cupiditati ac licentiae frena injicit; minores denique defectus peccataque perfecte emendandi, ad majorem usque cordis puritatem et virtutis perfectionem perveniendi, innumerorum hominum experientia comprobatum subsidium est. Confitere itaque saepius. Si in eluendis corporis aut vestium sordibus diligens es, an non majori diligentia cures, ne animae splendor turpissimis peccati maculis obsolescat? Ut vero hanc utilitatem proferat confessio, ea scopo Jesu Christi congruenter tibi facienda est. Cave igitur, ne mechanicè eam peragas, nec forte magis enumerationem peccatorum, quam emendationem vitae cordi habeto.

Hunc in finem elige tibi confessarium, qui sit doctrina salutis et practica hominum cognitione satis instructus; in ea applicanda prudens et fortis; minime indulgens, sed zelo et pietate excellens; attamen mansuetus, patiens, compati infirmitatibus sciens, et ad eas sanandas peritus promptusque. Interest autem quam plurimum, ut non solum optimum, sed et stabilem confessarium eligas. Nam hic demum sensim totum tuum statum moralem plene perspectum habere, illumque optimis remediis emendare, ac te ad magnam virtutem provehere poterit, id quod a bonis etiam, at usque et usque aliis confessariis haud ita praestari posse, facile perspicias. A confessarii delectu felici, animae salutem et virtutem magna ex parte pendere, certum est. Si in negotiis aliis multi inquirunt optimos medicos, advocatos et artium magistros, cur non et tu optimum ac stabilem confessarium eligas?

Quemvis in grave peccatum lapsus ad confessionem teneri, eamque sine peccato, peccandique periculo differri non posse; ad hujus legis expletionem, vel saltem ad votum eam explendi, praecipue peccatorem in quovis propinquo mortis periculo constitutum teneri; hac lege itidem obligari omnes in grave peccatum lapsos, qui ad sacram Eucharistiam volunt debentve accedere; lege item Ecclesiae catholicae confessionem singulis fidelibus saltem semel in anno graviter praeceptam esse, tibi aliunde constat. — Quo autem alio tempore confitendum tibi est? Omni mense; in festis Domini ac beatae Virginis; diebus, quibus Ecclesia con-

cedit indulgentiam, dieque natali confitendi laudabilem consuetudinem multi habent. — Qui hoc ab ipso Christo praescriptum emaculandae animae remedium saluberrimum, quamvis saepius utiliter posset, raro admodum usurpat, a christianae perfectionis studio ferventi procul abest. At vero is quoque, qui frequentius quidem, sed citra curatam praeparationem, ac sese emendandi proficiendique conatum, hoc Sacramentum recipiunt, falso se pios religiososque opinantur, imo habent, cur saluti suae timeant.

Peracta confessione Sacerdos tibi injungit **SATISFACTIONEM**; orationem, eleemosynam, jejunium aut alia bona opera, ad novae vitae custodiam, ad infirmitatis medicamentum, ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem. Decet nimirum divinam clementiam, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, veluti injurii et contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coërcent hae poenae in satisfactionem injunctae, cautioresque et vigilantiores in posterum efficiunt. Suscipe itaque satisfactionem injunctam humiliter, nec nisi gravi ex causa eam deprecare; persolve eam animo poenitenti; tempore modoque praescripto; sin, quam primum commode fieri potest; et non solum poenis operibusque satisfactoriis, tum sponte a te susceptis, tum Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam temporalibus flagellis a Deo inflictis, et a te

patienter toleratis, Deo Patri per Christum satisfacere conare. Male enim tibi consuleres, si facta confessione et peractis praescriptis a confessario paucis precibus rem omnem confectam putares, nec de delendis peccati reliquiis, nec de promeritis poenis eluendis, nec de progressu in virtute sollicitus esses. Qua severitate David per omnem vitam in se peccatum adulterii jejunando, flendo, orando, corpus miris modis affligendo vindicavit, quamquam primum a Nathan Propheta audivisset, a se illud esse translatum! Vere poenitens et satisfacere digne volens eris, si nunquam non in id incumbis, ut a licitis etiam commoditatibus jucunditatibusque saepius abstineas; si, quae in illas impendisses, in eleemosynas et misericordiae opera impendis; si officia tua, licet ardua, quam accuratissime, in spiritu poenitentiae imples; si abnegationi tui ipsius perpetuo operam das, si denique oblata ab Ecclesia indulgentiarum beneficia minime negligis.

EXERCITIUM CONFESSIIONIS.

Peccavi, iniquitatem feci; a via veritatis et justitiae declinavi; et tu Domine justus es rectumque judicium tuum. Contremisco, rigorem justitiae tuae perpendens. Sed parce mihi, si loquar ad te, ego pulvis et cinis. Numquid enim voluntatis tuae est mors impii? Nonne miserationes tuae super omnia opera tua; et cum iratus fueris, misericordiae recordaberis? Numquid non dixisti: Nolo mortem peccatoris,

et impietas impii non nocebit ei, in quacunque tandem die conversus fuerit ab impietate sua? Erravi quidem sicut ovis, quae periit; sed require servum tuum Domine, qui venisti quærere et salvum facere, quod perierat. Peccavi tibi, et malum coram te feci; sed en occasionem illustrandae gloriae tuae, si juxta promissiones tuas misero et humili praestes misericordiam, et vincas, cum judicaris, sinistra hominum judicia, qui te in vindicandis hominum delictis rigidum valde et immitem judicant. Consciis clementiae ac bonitatis tuae revertor ad te, ut filius prodigus reversus est ad patrem suum, dicens: Pater peccavi in caelum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis.

Tu Domine probasti me et cognovisti me; tu omnes gressus meos dinumerasti; omnia nuda et aperta sunt oculis tuis. Tu scis, quid sit in homine, et intelligis cogitationes eorum a longe. In multis offendimus omnes; hoc est, quod probe novimus. Sed delicta sua quis nostrum intelligit? Ab occultis quoque meis munda me Domine; vereor enim omnia opera mea, sciens, te non parcere delinquenti. Multiplicatae sunt iniquitates meae, et non potui ut viderem. Sed tu, o lux vera, quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina vultum tuum super tenebras mentis meae, ut rursus dirigar in viam tuam. Ostende mihi, quantas habeam iniquitates, ut sciam, quid desit mihi; ut videam, quid in me displiceat majestati tuae; ut cognoscam peccata, quae contra mandata tua et contra Ecclesiae prae-

cepta; quae contra proximum meum, parentes, superiores, aequales et minores; quae contra me ipsum cogitatione, verbo, opere ac omissione commisi; ut perspecta mihi fiant tum propria tum aliena peccata. Da, ut haec, et quidquid contra officia status mei peccavi, noscam tam clare, uti ea noscam in hora mortis meae, ac coram tribunali justitiae tuae. Intellectum illumina, ut culparum mearum gravitatem agnoscam; voluntatem inflamma, ut peccata mea horream et fugiam; da lacrymas, ut ea defleam; da animum, ut vulnera medico pandam; solve linguam, ut ea rite confitear.

Examina nunc conscientiam tuam; ad hoc serviet tibi examen in precibus vespertinis, vel examen generale in praemissa instructione de Sacramento Poenitentiae contentum.

Pater misericordiarum, e nihilo me creasti; fecisti me ad imaginem et similitudinem tuam, ut te laudarem, tibi que obtemperando salvus fierem; dedisti mihi intellectum, ut bonitatem tuam agnoscerem; voluntatem, ut te amarem, memoriamque, ut saepe de te cogitarem. Tu conservas me opus manuum tuarum, et das mihi escam in tempore opportuno. Tibi cura est de me. Fruor corpore integro, omnisque defectus et morbi experte; vivo sanus et incolumis mediis sustentandae vitae sufficienter instructus; mandasti Angelis tuis de me, ut custodiant me in omnibus viis meis; tuae gratiae debeo parentes, qui me in vera tui cognitione ac timore, sanctaque fide catholica, atque in omni honesta et liberali disciplina vel instruunt vel instrui curant. Eripuisti me ex

innumeris periculis. Ut servum redimeres, Filium tradidisti; contulisti mihi sine meis meritis gratiam baptismi veraeque fidei lumen; refecisti me toties corpore et sanguine Filii tui. Dedisti mihi Spiritum Sanctum, Spiritum veritatis, qui testimonium perhibet de te, et Jesu Christo Filio tuo. Liberasti me secundum multitudinem misericordiae tuae de manibus quaerentium animam meam. Succidere me potuisses tanquam arborem non ferentem fructum; et sustinuisti me in multa patientia. Post primum peccatum mortale perpetratum in infernum me praecipitare potuisses; et tanta cum longanimitate poenitentiam meam exspectas, gratia tua me praevenis; aeterna in caelo praemia, si in posterum voluntatem tuam fecero, mihi praeparas, atque ad gloriam semper duraturam me invitas. Tanto amore me prosequeris! — Quid autem retribuisti tibi pro dilectione tua? Nil, nisi peccata, negligentias et ingratitude. Ah quam sero te cognosco! quam parum te glorifico! Poenitet me ex toto corde, quod offenderim te omni amore dignissimum, Creatorem, Salvatorem, Dominum ac benefactorem meum. Utinam nunquam te, hoc maxime peccato N., offendissem! utinam deinceps te non offenderem! utinam peccata ita abhorrerem, ut illa abhorruere omnes sancti poenitentes, ut sanctos Aloysius, ut beatissima Virgo, ut ipse Jesus ea abhorruit! Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, et secundum dies, quibus fruebar paterna dulcedine vultus tui?

Sed nunc paratum cor meum, Deus ad omne beneplacitum tuum. Cupio proponoque

serio vitam meam emendare, peccata omnia, praesertim ea, ad quae me proclivorem sentio, quaeque committendi consuetudinem contraxi, vitare, omnem etiam peccandi occasionem fugere; cuncta, quorum me reum invenio, confiteri; satisfactionem, quae mihi injuncta fuerit, implere, atque remittere omnem injuriam a quocunque ullo unquam tempore mihi illatam. In satisfactionem pro peccatis meis, offero tibi sacratissimam vitam, passionem ac mortem Filii tui. **R**espice in faciem Christi tui. Vox sanguinis ejus pro me clamat ad te de cruce. Confido in infinita misericordia tua, ac in meritis Filii tui, qui mulieris chanananae misertus est, qui peccatricem absolvit, qui latronem exaudivit, et pro nobis mortem subire dignatus est, ut deleret peccatum; qui est advocatus noster apud te, et propitiatio pro peccatis nostris. Per ejus merita mihi quoque remissurus es omnia delicta mea, et gratiam uberem largiturus, qua vitam sancte instituere tibi perfectae usque in finem servire valeam. **J**uravi et statui custodire judicia justitiae tuae.

Sed quid possum facere sine te? Frustra propono, nisi tu operi manuum tuarum porrigas dexteram. Volo equidem tibi servire; vides autem, et consideras paupertatem ac infirmitatem meam. Peccati poenam sentio, et peccandi pertinaciam non vito. In flagellis tuis infirmitas mea teritur, et iniquitas non mutatur. Mens aegra torquetur, et cervix non flectitur. Vita in dolore suspirat, et in opere se non emendat. Si exspectas, non corrigor; si vindicas, non duro. Confiteor in correctione, quod egi; obli-

viscor post visitationem, quod fleverim. Si extendis manum, facienda promitto; si suspendis gladium, promissa non servo. Si feris, clamo, ut parcas; si parcis, te provoco, ut ferias. Ex me nec cogitare aliquid boni possum; omnis sufficientia mea ex te est. Tu ergo, qui dedisti mihi velle, da et perficere. Dum lapsum cavere propono, suppone manum, ne labar; confirma, quod operatus es in me; ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me; confige timore tuo carnes meas, et accende in corde meo ignem tui amoris, ut ambulem in semita mandatorum tuorum.

Et nunc Domine Jesu Christe! ascendo ad lavacrum, ut munder ab omni iniquitate. Non abscondam ulcera animae meae, et non celabo peccatum meum. Vadam et ostendam me sacerdoti; non erubescam confiteri peccata, quae committere non erubui. Recognosce, quod tuum est in me, et absterge, quod alienum est a te. Lava me immundum sanguine tuo; sana infirmum, medice animae meae; pastor bone! suscipe me in humeros tuos; suscitator mortuorum! suscita animam meam veluti mortuam, quam non auro et argento, sed pretiosissimo sanguine redemisti; da, ut peccata mea ministro tuo, cui dedisti potestatem ligandi et solvendi, remittendi et retinendi, ita confitear, ac si tu ipse confessionem meam exciperes; ut tam attente ac humiliter monita ipsius audiam, ac si ex ore tuo prodirent; ut absolutionem ab ipso ita recipiam, ac si tu ipse mihi diceres: Remissa sunt tibi peccata tua; ut denique sa-

tisfaciam, meque emendem ad gloriam tuam et salutem animae meae. Fili David miserere mei! Instaura templum tuum; renova domum tuam, ut justificatus descendens laudem te, et glorier in miserationibus tuis nunc et in saecula saeculorum. — Sancta Maria, refugium peccatorum, materque misericordiae; sancte Angele custos; omnesque sancti, quos immaculatos in via servavit, sive quos e peccatoribus justos effecit Deus, orate pro me, ut hanc confessionem rite peragam.

Accede confessionale cum modestia. Si expectandum tibi fuerit ante confessionem, ora unum alterumve psalmorum poenitentialium; vel lege parabolam de filio prodigo, vel capitulum, quod agit de peccato. — Deinde confitere omnia peccata tua maxima cum humilitate et contritione ac sinceritate. — Si a Sacerdote in confessione interrogaris, responde sincere: satisfactionis opus tibi injunctum cum humilitate accepta. — Sub absolute cogita: Miserere mei Domine, et dimitte mihi peccata mea. Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum meorum, tribue mihi omnipotens et misericors Domine. Dominus Jesus Christus me absolvat, et auctoritate ipsius Sacerdos me absolvat a peccatis meis. — Post confessionem perpende Sacerdotis verba; elice actum doloris, renova propositum emendationis, et perage injunctam poenitentiam.

Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis; pepercisti animae meae; remisisti iniquitates meas; reconciliasti me tibi; consolatus es me, quoniam Deus miserationum es tu. Magna est Domine miseratio tua, et multae misericordiae tuae. Gratias tibi ago, quod me indignum peccatorem, ut David, Petrum et Peccatricem respexeris, veniamque ac

indulgentiam peccatorum clementer mihi concesseris. Suscipe, obsecro, hanc humilem confessionem meam, quam feci, et quidquid mihi nunc defuit ad plenam et sinceram enumerationem peccatorum meorum, et convenientem pro iis dolorem, tu ex fonte infinitae misericordiae et pietatis tuae benigne supplere, meque perfecte absolutum habere digneris in caelis. Dealbavi stolam meam in sanguine tuo, nolo amplius eam coinquinare; ambulabo in novitate vitae; non discedam a te, quoniam vivificasti me. Tu autem Domine confirma et sustine deficientem; custodi animam meam. Praesta auxilium gratiae tuae, ut deinceps peccata devitem, ac fidelius tibi serviam. Amen.

Psalmus 102.

Argumentum est excitatio primo Davidis, deinde populi, tandem universae naturae ad Deum laudandum pro eximiis beneficiis sibi omnibusque hominibus exhibitis, inter alia pro remissione peccatorum.

Benedic (*gratias age*) anima mea Domino: et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino: et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit (*servat*) de interitu vitam tuam: qui coronat (*ornat*) te in misericordia et miserationibus (*in benignitate*). Qui replet in bonis desiderium tuum (*te bonis cumulat, et decore induit*); renovabitur, ut aquilae, juvenus tua (*vires*

tuas accipies, et similis eris aquilae in illius juventute). Faciens misericordias (*jus praestans*) Dominus, et judicium (*justitiam*) omnibus injuriam patientibus. Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas (*potentiam suam*). Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors. Non in perpetuum irascetur; neque in aeternum comminabitur (*servat iram suam*). Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit (*rependit*) nobis. Quoniam secundum altitudinem caeli a terra: corroboravit misericordiam suam super timentes se (*quantum eminent caelum super terram, tantum superat ejus benignitas erga omnes, qui eum reverentur*). Quantum distat ortus ab occidente: (*tam*) longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo (*ut*) miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum (*conditionem nostram*). Recordatus est, quoniam pulvis sumus: homo, sicut foenum dies ejus, tanquam flos agri sic effloret (*hominis vita gramini similis est, ut flos in campis viret*). Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet (*qui, si vento orientali afflatur, concidit*): et non cognoscet amplius locum suum (*quem tenuit*). Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum. Et justitia ejus in filios filiorum (*fides ejus per omnes aetates*) his, qui servant testamentum ejus (*promissionum conditiones implent*). Et memores sunt man-

datorum ipsius, ad faciendum ea. Dominus (*quidem*) in caelo paravit sedem suam: et (*sed*) regnum ejus omnibus dominabitur. Benedicite Domino omnes angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus. Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. (*Vos ministri voluntatis ejus, qui ad minimum quodvis verbum praeceptorum ejus praesto estis, obtemperaturi, vestras cum nostris laudes sociate, ut solemnes Domino gratias agamus*). Benedicite Domino omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino. Gloria Patri etc.

PSALMI POENITENTIALES.

Psalmus 6.

Conqueritur David de gravibus tum corporis, tum animi afflictionibus, propter hostium suorum persecutiones, in quibus se spe auxilii divini mox impetrandi erigit.

Antiphona. Ne reminiscaris.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me (*noli me tam graviter punire*). Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine, quoniam conturbata sunt (*tremunt*) ossa mea. Et anima mea turbata est valde (*gravissime agitur*): sed tu, Domine, usquequo? (*quo-*

usque auxilium differes?) Convertere (*age*) Domine, et eripe animam meam; salvum me fac (*serva me*) propter misericordiam (*in-signem benevolentiam*) tuam. Quoniam non est in morte, qui memor sit tui (*te celebret*): in inferno autem quis confitebitur tibi? (*te laudet?*) Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. (*Fessus sum gemen-do; tota nocte lectum meum madefacio; lacrymis stratum meum humecto*). Turbatus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos (*oculi mihi prae timore contabescunt: propter hostes meos consenui*). Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem; quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei (*vocem meam flebilem*). Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit. Erubescant et conturbenter vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant valde velociter (*rejecti subito pudefient*). Gloria Patri etc.

Psalmus 31.

Quanta sit felicitas remissionis peccatorum.

Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta (*abscondita*) sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu (*anima*) ejus dolus. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die (*cum peccata mea tibi reticere vellem, ossa mea contabuerunt*

prae continuo meo moerore). Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea dum configitur spina (*humor meus consumptus est, ut tempore aestivo*). Delictum meum cognitum tibi feci: et injustitiam meam non abscondi. Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et (*tum*) tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno (*propterea suppliciter orabunt omnes pii, dum tempus conceditur impetrandae gratiae*). Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt (*tunc ingruentes calamitates eos non attingent*). Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me (*ab hoste me defendis*): exultatio mea, erue me a circumdantibus me (*facis, ut servatus una cum aliis carmina canere possim*). Intellectum tibi dabo (*erudiam te*), et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos (*dabo consilium, tibi prospiciam*). Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (*qui freno nunquam domitus, aut capistro ori injecto constrictus tractari nullo modo potest*). In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Multa flagella peccatoris (*multis doloribus cruciatur impius*): sperantem autem in Domino misericordia circumdabit (*gratia sua complectitur*). Laetamini in Domino, et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde (*qui sincere Deum colitis*). Gloria Patri etc.

Psalmus 37.

Gravissime dolet propter maximas animi et corporis afflictiones, quas quidem suis peccatis commeruisse fatetur; attamen Deum auxilium ei non prorsus subtracturum esse, et sperat et optat.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me (*noli me tam graviter punire.*) Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi (*summopere afflictus et dolore confectus sum*), et confirmasti super me manum tuam (*manus tua premit me*). Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae (*propter indignationem tuam*): non est pax ossibus meis (*quies membris*) a facie peccatorum meorum (*ob peccata mea*). Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum (*meorum peccatorum poenae me obruunt*): et sicut onus grave gravatae sunt super me. Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae, a facie insipientiae meae (*foetent et contabescunt ulcera mea propter delicta mea*). Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus (*corpore incurvo et prorsus depresso, omni tempore habitu lugubri*) ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus (*viscera mea torrentur*), et non est sanitas in carne mea. Afflictus sum et humiliatus sum nimis (*vehementer*): rugiebam a gemitu cordis mei (*prae animi tristitia ingemisco*). Domine ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus. Cor meum conturbatum est (*agitatur*), dereliquit me virtus mea (*vires*:

deficiunt): et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum (*cessat*). Amici mei et proximi (*familiares*) mei adversum me appropinquaverunt et steterunt (*plagam meam eminus intuentur*). Et qui juxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant, qui quaerebant animam meam (*laqueos tendunt, qui vitae meae insidiantur*). Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates (*qui interitum meum optant, impie sentiunt*), et dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens; et non habens in ore suo redargutiones (*neque aliis refutandis par*). Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus. Quia dixi: Ne quando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt. (*Nam precatus sum: noli permittere, ut de me laetentur inimici mei. Si enim caderem, magnopere se contra me efferrent*). Quoniam ego in flagella (*ad ferendum, quidquid tua in me justitia praeceperit*) paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper (*perpetuo dolore angor*). Quoniam iniquitatem meam annuntiabo (*confitebor*), et cogitabo (*sollicitus sum*) pro (*de*) peccato meo. Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me (*felices sunt et potentes*): et multiplicati (*multi*) sunt, qui oderunt me inique. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem (*adversantur mihi, quod virtuti studeam*).

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris a me. Intende (*propere*) in adiutorium meum, Domine Deus salutis meae (*mea salus*). Gloria Patri.

Psalmus 50.

Preces pro remissione peccatorum, animique vera emendatione.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum (*pro suprema tua misericordia*) dele iniquitatem meam. Amplius (*multum*) lava me ab iniquitate mea; et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco; et peccatum meum contra me est semper (*mihi obversatur*). Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris (*tibi tantum notum erat delictum meum, te tantum praesente peccavi. Hinc sententia tua justa est et aequum iudicium tuum*). Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi (*petis a me sincerum veritatis ac virtutis studium, meque tuarum veritatum magis absconditarum cognitione donasti: quod ipsum ingratitude meam majorem reddit. Peccata mea leproso me simillimum fecere.*) Asperges (*autem*) me hyssopo et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam (*tu intrinsecus mihi dices: Peccata tua tibi remissa sunt*): et exultabunt (*consurgent, reviviscent*) ossa humiliata (*languentia et quasi mortua*). Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis (*mentemque firmam mihi restitue*). Ne projicias me a facie tua (*noli me tua gratia indignum judicare*): et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me (*redde mihi gaudium ob veniam a te impetratam, animusque ad obedientiam promptus me sustentet*). Docebo iniquos vias tuas (*peccatores voluntatem tuam*): et impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibus (*condona mihi culpam ob caedem commissam*) Deus, Deus salutis meae: et exultabit lingua mea justitiam (*clementiam*) tuam. Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Quoniam, si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo (*quod Deo placet, est*) spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion (*bene fac mihi pro favore tuo pristino*), ut aedificentur muri Jerusalem (*non luat urbs delicta mea*). Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta; tunc imponent super altare tuum vitulos (*tunc tibi placebunt victimae legitimae et solita sacrificia; tunc super altari tuo*

tauri immolabuntur, omnesque adoratores tui summam misericordiam tuam annuntiabunt). Gloria Patri.

Psalmus 121.

Preces continet ardentissimas pro liberatione e statu afflictissimo.

Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat. Non avertas faciem tuam a me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me. Quia defecerunt (*evanescunt*) sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut cremium (*lignum torridum*) aruerunt. Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum (*ut herba aestu tacta*): quia oblitus sum comedere panem meum (*capiendi cibi*). A voce gemitus mei adhaesit os meum carni meae (*ob vocem meam gementem adhaerent ossa pelli meae*). Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto (*vigilo, solusque ac moestus ingemisco*). Tota die exprobrabant (*quotidie me convitiis proscindunt*) inimici mei: et qui laudabant me, adversum me jurabant (*qui mihi olim blandiebantur, nunc in me imprecationes evomunt*). Quia (*ideo, ut ita dicam*) cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam. A facie irae et indignationis tuae: quia elevans allisisti me (*propter irae tuae vehemen-*

tiam, qua me elevasti, ut majori pondere ruerem). Dies mei sicut umbra declinaverunt (*umbra inclinata*), et ego sicut foenum (*instar fruticis*) arui. Tu autem Domine in aeternum permanes: et memoriale tuum in generationem et generationem (*tuique memoria erit perpetua*). Tu exsurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus (*gratiae exhibendae*), quia venit (*adest promissum*) tempus. Quoniam placuerunt servis (*cultoribus*) tuis lapides (*vel ipsa rudera*) ejus: et terrae ejus miserebuntur (*pulveri ejus favent*). Et timebunt gentes nomen tuum Domine: et omnes reges terrae gloriam tuam. Quia aedificabit Dominus (*quando restaurabis*) Sion: et videbitur (*apparebis*) in gloria sua (*majestate tua*). Respexit in orationem humilium (*languentium, instar moribundorum*), et non sprexit precem eorum. Scribantur haec in generatione altera (*hoc literis mandabitur generationi succedenti*): et populus, qui creabitur (*futurus*) laudabit Dominum. Quia prospexit de excelso sancto suo (*de sede sua sanctissima*), Dominus de caelo in terram aspexit: ut audiret gemitus compeditorum (*vincitorum*), ut solveret filios interemptorum (*vincula morti traditorum*). Ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem. In conveniendo populos in unum (*quando gentes convenient*) et reges, ut serviant Domino. Respondit ei in via virtutis suae: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi (*debilitantur in itinere vires meae: precor mi Deus*). Ne revoces me in dimidio

dierum meorum: in generationem et generationem (*aeterni*) sunt anni tui. Initio tu (*qui olim*) terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt caeli (*caelum condidisti*). Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, et (*ut tegumentum, a te conversa*) mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*absolventur*). Filii servorum tuorum habitabunt: et semen eorum in saeculum dirigetur (*igitur etiam cultores tui manebunt; eorumque posteri sub tua cura stabilientur*). Gloria Patri etc.

Psalmus 129.

Continet deprecationem poenitentis ob peccatum commissum. — Hoc psalmo uti etiam poteris, dum pulsatur campana pro mortuo.

De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae. Si iniquitates observaveris (*animadvertere velis*) Domine: Domine quis sustinebit? (*consistet?*) Quia apud te propitiatio est (*at enimvero tu condonas*): et propter legem tuam sustinui te Domine (*in misericordia tua spero propter legis tuae promissiones*). Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino (*promissionem ejus suspicio*). A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino (*suspicio Dominum magis, quam vigiles observantes tempus matutinum*).

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio (*potentissimum est ejus auxilium*). Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus (*peccatorum suorum poenis*). Gloria Patri etc.

Psalmus 142.

Videtur a Davide compositus in fuga ab Absolomo filio suo. Loquitur de tempore praeterito, ut sibi felici, de praesente vero ut calamitoso ex justo Dei judicio.

Domine, exaudi orationem meam: auri-
bus percipe obsecrationem meam in veritate
(*pro fide*) tua; exaudi me in tua justitia (*benignitate*). Et non intres in iudicium cum
servo tuo; quia non justificabitur in conspectu
tuo omnis vivens (*ne jure mecum agas, nemo enim mortalium coram te justus est*). Quia persecutus est inimicus animam
meam; humiliavit in terra (*pessumdat*) vitam
meam. Collocavit me in obscuris sicut mortuos
saeculi (*ablegat me ad tenebras, ut dudum mortuos*), et anxius est super me
spiritus meus (*animus mihi deficit*): in me
turbatum est cor meum (*mens mea est attonita*). Memor fui dierum antiquorum: medita-
tus sum in omnibus operibus tuis: in factis
manuum tuarum (*potentiae tuae documentis*)
meditabar. Expandi manus meas ad te; anima
mea sicut terra sine aqua tibi (*similis sum terrae siticulosae*). Velociter exaudi me,
Domine, defecit spiritus meus. Non avertas fa-

ciem tuam a me; et (*alias*) similis ero descendentibus in lacum (*ad sepulcrum*). Auditam fac mihi mane misericordiam (*fac, ut mox experiar benignitatem*) tuam; quia in te speravi. Notam fac mihi viam, in qua ambullem; quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis, Domine; ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam (*quae tibi placent*), quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam (*tu pro tua benignitate duc me ad locum securum*): propter nomen tuum (*benignitatem tuam*) Domine, vivificabis me in aequitate tua. Educes de tribulatione animam meam (*me ex hoc periculo*): et in misericordia tua disperdes inimicos meos (*pro favore in me tuo obmutescant hostes mei*). Et perdes omnes, qui tribulant animam meam (*me*), quoniam ego servus tuus sum. Gloria Patri etc.

ANTIPHONA. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

INDULGENTIA.

Fidèles, qui in Festis SS. Nominis Jesu et Nominis B. M. V. vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, in aliqua ecclesia Missae solemni interfuerint, et ibi pro christianorum principum concordia, heresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, lucrantur plenarias indulgentias.

Praeterea sunt etiam aliae permultae indulgentias lucrandi occasiones piis christianis rite cog-

nitae, quibus secundam sensum ecclesiae frequenter uti poteris ad salutem animae tuae.

Ecclesia quippe habet potestatem concedendi indulgentias: et hae sunt utiles. Sed facile intelligis, hanc remissionem poenae temporalis pro peccatis debitae, tibi tantum vere poenitenti ac satisfacere volenti concedi ac favere. Indulgentiae enim non in fomentum negligentiae, sed in supplementum humanae infirmitatis dantur. Si igitur eas lucrari cupias, non modo a gravibus peccatis per poenitentiam animum expurgatum habeas, et opera praescripta peragas; sed efficax etiam, quantum in te est, per opera pia laboriosaque dignos poenitentiae fructus faciendi propositum adferas, ac bene memor sis, a te ex indulgentia, quam plenam vocant, nonnisi proportionatum tuo fervori fructum esse reportandum.

PRECES PRO LUCRANDIS IN- DULGENTIIS.

Omnipotens, sempiternae Deus, misericordia tua a peccatis omnibus aeternaeque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus poenis obnoxius maneam. Cum his diluendis opera mea non sufficiant, ad merita Filii tui confugio, ut indigentiae meae subveniatur: promptumque me ad omnia hunc in finem praestanda offero. Suscipe ea in unione passionis ac mortis ejusdem Filii tui, atque hujus indulgentiae me, licet indignum, fac participem.

Memento Pater aeternae, congregationis, quam possedisti ab initio; visita vineam dextera tua plantatam; memento ecclesiae Filii tui, quam

acquisivit sanguine suo, eamque hereditatis amplitudine ita exalta, ut digna compareat tanto redemptionis pretio. Respice benigne ejusdem sanctae matris ecclesiae filios, eorumque numero universas gentes associa, ut omnes te Deum Patrem, et quem misisti Jesum Christum, una cum sancto Spiritu fide viva agnoscant, spe firma invocent, et caritate perfecta complectantur.

Jesu, lux vera, quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, fac virtute passionis tuae, ut pulsis errorum tenebris veritatis tuae lumen omnes sequantur, et in optatum ecclesiae tuae gremium omnes confluant. Pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti, gregem tuum contra vim insidasque eorum protege, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Fac, ut unum sit ovile et unus Pastor. Mane nobiscum Domine, quoniam dixisti: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem saeculi. Ostende, ecclesiam tuam aedificatam esse supra firmam petram, et portas inferi non praevalere adversus eam.

Spiritus Sancte, Spiritus amoris et pacis, qui tot tantasque gentes in unitate fidei congregasti, largire principibus christianis eorumque consiliariis gratiam tuam, novoque caritatis mandato, eorum corda imbue. Da, ut nihil unquam moliantur, quod gloriae tuae, concordiaeque ecclesiae adversetur; sed unitis potius viribus ad pacis aeternae visionem populos sibi subjectos una secum perducere nitantur.

EUCCHARISTIA.

Eucharistiae institutionem Apostolus breviter ita describit: „Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit ac dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur (quod pro vobis et pro omnibus frangitur), hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine; hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec (ad iudicium) veniat. Itaque quicumque maducaverit panem hunc, et biberit calicem Domini indigne, reus erit (profanati) corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne: iudicium sibi manducat et bibit, non dijudicans (non discernens a vulgari cibo) corpus Domini.“ — Eucharistia igitur, in qua sub panis vinarie speciebus vere, realiter et substantialiter corpus et sanguis Christi continetur, instituta est, ut esset signum ac pignus ardentissimi amoris, quo Christus erga salutem nostram flagrabat. Nimirum non tantum videndum, sed et palpandum et comedendum se praebet cupientibus. Parentes quidem aliis saepe filios tradunt alendos. Non ita Jesus: sua enim carne nos alit. Jungit se nobis intime. „Qui manducat meam carnem, ait, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.“ Divinae quodammodo naturae suae consortes nos facit. — Instituit Eucharistiam, ut esset signum in memoriam revocans passionem et mortem, quam in remissionem peccatorum nostrorum subiit: ut esset novum testamentum, foedus ac verum novae legis

sacrificium: ut esset symbolum et subsidium fraternae inter nos caritatis, ut, qui unum corpus sumus, et de uno pane omnes participemus. — Instituit eam, ut esset cibus et alimonia vitae spiritualis, qua gratia Dei in nobis nutriatur, ut propter Christum et in Christo habeamus vitam aeternam, atque ita pignus etiam futurae nostrae resurrectionis et gloriae. „Hic est panis, inquit, qui de caelo descendit. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.“ — Ad mutuam itaque erga Deum et Jesum Christum caritatem Eucharistia te excitat, fidem fiduciamque tuam in Jesu Christi meritis et redemptione confirmat; fraternum erga omnes homines amorem fovet; propositum tuum studiumque virtutis accendit, teque a peccatis magis alienum reddit. Est hoc Sacramentum medicamentum ad sanandas infirmitates, ac vulnera animae nostrae curanda; mundat sordes ejus; collisos redintegrat, et ab omni casu nos erigit. Si non tam saepe, nec tam acerbos sentis iracundiae, invidiae aut luxuriae motus: gratias agas corpori et sanguini Domini; virtus Sacramenti operatur in te. Tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedimus, facti diabolo terribiles.

Ut autem effectus hos saluberrimos ex Eucharistia referas, ad eam digne suscipiendam te praepares oportet. Quod ut fiat, revoces in mentem tempus ultimae communionis tuae, ac pro ea gratias agas Deo; humiliter te ob defectus in illius perceptione commissos; perpendas, quos fructus ex illa retuleris, quomodo hactenus vixeris: et concipias ardens desiderium communionem denuo recipiendi. — Ante omnia immunis sis a peccato saltem graviore, bene memor verborum Apostoli superius adductorum: Probet autem se ipsum homo etc. Si non mutares vitam, ad iudicium acciperes vitam; et magis ex ipsa corrumpereris, quam sanareris; magis occidereris, quam vivificareris. Quare si peccati gravis

reum te invenires, conscientiam tuam per Sacramentum poenitentiae expiare deberes. — Sed ab affectu etiam ad venialia animum alienum habeas. — Porro viva fide, qua hujus Sacramenti excellentiam et virtutem firmiter credas; praecipua mentis animique devotione; pia Jesu patientis et morientis memoria, summa vereque filiali fiducia; non nauseans, non remissus, sed excitatus, accensus, flagrans desiderio te cum Christo arctius conjungendi; cum gaudio, ut Zachaeus eum suscepit; votorum baptismalium recordatione, firmo proposito te totum Christo consecrandi; animo ab omni inimicitia longissime remoto; ea etiam corporis compositione; ea vultus, cultus gestusve modestia, quae animi reverentiam ac religionem reapse exprimat; a media denique nocte jejunus, nisi forte hoc Sacramentum ut viaticum recipias, ad illud compareas.

Die ipsa communioni a te destinata, evigilans recordare verborum, quae Christus Zachaeo dixit: Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. — Discedens e domo cogita: Ecce magister adest, et vocat te. Haec dies, quam fecit Dominus. — Vadens ad ecclesiam perpende illa verba: Beati, qui vocati sunt ad nuptias Agni. — Imminente tempore communicandi meditare verba: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. — Mensam sacram accedens, memento mulieris, quae tantum simbriam vestimenti Christi tangere desiderabat, ut sanaretur. — Sed et post receptum Sacramentum animi devotionem continua; fideique, spei, caritatis, gratiarum actionis, adorationis, deprecationis ac optimorum propositorum actus cum fervore repetas. Quinque illa millia hominum, qui panibus hordeaceis a Christo pasti, in signum gratitudinis, eum Regem creare voluerunt, ac patrem familias imiteris, qui convocatas proles omnes jubet carum hospitem domi suae salutare, benevoleque excipere et honorare. Sensus nimirum omnes animique facultates, ad laudes et gratiarum actiones tanto hospiti debitas, impende. Aperi Christo omnia ani-

mi tui arcana et miserias. — Totum denique ei te offer. Haec utique etiam faceres, si Christus visibiliter ad te veniret. — Ceterum illi actus sunt optimi, qui e sincero corde, sine solitudine de ordine et ornatu verborum, fluunt.

Recipe hoc Sacramentum saepius in vita, ut effectus praedictos consequaris. „Nisi manducaveritis carnem filii hominis, ait Christus, non habebitis vitam in vobis.“ Et in alio loco inquit: „Hoc facite in meam commemorationem.“ Sicut nempe panis communis, quem quotidie edimus, vita est corporis; ita panis iste supersubstantialis vita est animae et sanitas mentis. „Panis, quem ego dabo, verba sunt Christi, caro mea est pro mundi vita.“ Vide perinde, ne arescat cor tuum, quod obliviscaris manducare hunc panem. — Lex ecclesiae urget te imprimis in periculo et articulo mortis positum. Olim martyribus porrigebatur Eucharistia, ne ad praelium inermes et nudi relinquerentur, sed protectione corporis et sanguinis Christi munirentur. Hic nimirum panis est viaticum peregrinationis nostrae. — Sed et semel saltem in anno, et quidem circa tempus paschale, sacramentum Eucharistiae reverenter suscipe, aut tum fors impeditus, quo primum poteris tempore, hanc ecclesiae legem exple. — Ceterum frequens, quin quotidiana etiam communio haud prohibita est laicis: imo communio saltem hebdomadaria, praxi antiquae ecclesiae confirmatur. Et Concilium Tridentinum optat, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberius perveniret. Sic circa primordia ecclesiae, quotidie perdurantes Christi fideles unanimiter in templo, et frangentes circa domus panem (eucharisticum) sumebant cibum (hunc), cum exultatione et simplicitate cordis collaudantes Deum. Nausea certe hujus cibi divini ac abstinentia diuturnior, sanctis Patribus magis periculosa visa est, quam frequentia nimia. Christianae virtutis ac

perfectionis vere cupidus receptionem hujus Sacramenti vix diu differet. — Nec communio tamen ipsa, nec ejus frequentia, nisi diligens praeparatio praecesserit, eademque tanquam pietatis subsidio quis usus fuerit, christianae justitiae, nedum salutis, signum est. — Tu prudentis ac pii confessorii consilium sequere, et, si diuturniori tempore recipere sacram communionem reapse tibi haud liceat, per praedictos saltem pios actus et sancta desideria spirituali quodam modo illius te participem reddere stude.

Exercitium Communionis.

Dominus meus et Deus meus! grande est opus, quod aggredior; non enim homini mortali, sed tibi Regi caelorum, immortalis et invisibili, habitationem praeparo. Orna ipse domum, quam ingredieris; purifica animam meam; rumpe vincula peccatorum meorum, ut digne te recipere valeam.

Domine Jesu, vere Deus et vere homo, firma fide credo ac confiteor, te, qui olim nascentis te in socium, moriensque dedisti in pretium, et nunc regnans te das in praemium, vere et realiter esse praesentem in hoc Sacramento. Vere sumus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Nec est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster ades nobis. Tu enim veritas aeterna dixisti: „Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducaverit ex hoc pane, non morietur. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. — Hoc est enim corpus meum.“ Certior sum, te verum Deum et ve-

rum hominem, carnem et sanguinem tuum, corpus tuum et animam tuam, contineri et velari his speciebus, quam si te propriis viderem oculis. Adoro te Creatorem, Redemptorem ac summum Bonum. Si pro hac fide mori me oporteret, mortem eligerem potius, quam fidem meam fallerem. Ideo renuntio omni ei, quod sensus mei aut ratio mea contrarium huic fidei suggerere possent. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet, et expedit animae meae. Adauge fidem meam.

Domine virtutum! beatus homo, qui sperat in te. Spero in te omnis boni fonte, et gratiae auctore, quem in hoc Sacramento praesentem habeo. Idcirco ad mensam dulcissimi convivii tui ego peccator, de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate accedo. Suavis enim es tu, et multae sunt misericordiae tuae omnibus invocantibus te. Tu solus dare potes omnia, quia omnipotens; tu dare vis omnia, quia infinite bonus es. Tu es spes, salus, lux et vita mea. Tu parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me, adversus mundum, carnem ac diabolum. Propter hoc laetatur cor meum. Spero enim, nihil non daturum te mihi, qui dare te ipsum non recusas. In te Domine confido, non confundas me ab expectatione mea. Venio ad te, quia bonitas tua me invitat dicens: „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis: et ego reficiam vos.“

Domine Jesu Christe, quanta fuit tui vis amoris, quae te, quem terra, pontus, sidera colunt, adorant et praedicant; te, qui trinam, caelestium, terrestrium et infernorum regis machinam; te qui fuisti apud Patrem ante constitutionem mundi, traxit e sinu Patris, ut formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo, venires in hunc mundum, perambulares terram benefaciendo omnibus, innumerasque misérias ac injurias propter salutem nostram ferres! Quantus amor! damnare nos poteras; et salvare voluisti: nos rei eramus; et tu innocens supplicium subiisti. Tulisti clavos, lanceam multamque ignominiam, sudores, angorem, atrocissimam denique mortem, ut nos Patri reconciliares, ac reos liberares. Denique pridie, quam patereris, abiturus ex hoc mundo ad Patrem, in pignus amoris Sacramentum hoc instituisti, praeciens Apostolis: „Hoc facite in meam commemorationem,“ ut modo prorsus novo et mirabili maneres nobiscum, et sic monstrares, delicias tuas esse cum filiis hominum. Quanto amore dignus es Domine, qui tot ac tanta fecisti amore erga nos! Diligam itaque te Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum ac liberator meus! Cupio te suscipere in hoc Sacramento, ut tibi firmiter uniar vinculo amoris. Tu es enim caritas, et qui manet in caritate, in te manet, et tu manes in illo.

Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Rex caeli et terrae, quem laudant angeli atque archangeli; quem adorant Dominationes; coram quo tremunt Potestates: quid est homo, quod memor es

ejus, faciens ei memoriam mirabilium tuorum? quid est filius hominis, quoniam visitas eum, angelorum esca eum nutriens, et panem de caelo praestans ei, in hoc Sacramento ad eum veniens? Unde hoc mihi, ut venias ad me, ut fiam templum tuum, habitaculum tuum? Venis Domine ad servum, Creator ad eum, quem creavit dextera tua. Tu suprema es majestas, atque Sanctitas ipsa; ego vero cinis, pulvis, vermis, peccator sum: et ego ad te accedere audeam? panem angelorum manducem? corpore et sanguine Filii Dei reficiar? Etiamsi puritatem Angelorum et Sanctorum haberem, indignus tamen essem tanta gratia: quomodo appropinquem plenus peccatis et imperfectionibus! Si Petrus, si Joannes Baptista alique Sancti indignos se reputarunt, quos vel accederes, et cui vel vilissimum praestarent servitium: quomodo ego tanta gratia dignum me putem! Timeo sane, ne habeam vestem nuptialem. Confidens solum in infinita misericordia tua ad te venio.

Dies beata, qua te Jesu mi fruar! Panis sancte, panis cor hominis confirmans, quem qui manducat, vivet in aeternum; qui non manducat, vitam non habebit. — Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria tua. Refice esurientem animam meam, ut in fortitudine cibi illius ambulem per hunc mundum usque ad montem sanctum tuum, donec in regno tuo satier ab ubertate domus tuae. — Desiderio desiderasti manducare pascha cum discipulis tuis. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum,

ita desiderat et anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Domini? Veni Domine, et noli tardare; sed veniat, obsecro, tecum illa multum desiderabilis bonitas, mansuetudo et caritas tua, per quam excusetur et juvetur miseria mea. Veni dilecte mi; veni desiderate cunctis gentibus; veni ad docendum me viam prudentiae, ad salvandum me in manu forti et brachio extento. Ecce stas ad ostium et pulsas. Prope es tu Domine; audio vocem tuam. Sanctifica animam desiderantem te, quae- rentem te, properantem ad te. Veni Domine Jesu, et veniant super me universae benedictiones tuae.

Accedo ad altaris Sacramentum, tanquam infirmus ad medicum vitae, tanquam immundus ad fontem misericordiae, tanquam caecus ad lumen claritatis aeternae, tanquam pauper et egenus ad Dominum caeli et terrae. Cum fide Petri, cum spe Pauli, cum caritate Joannis sacram tuam mensam accedere desidero.

Dum jam appropinquat momentum communionis, dic: O Sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, ima summis, terrena divinis junguntur; mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur. — Sub Confiteor elice actum doloris de peccatis, peteque a Deo remissionem peccatorum tuorum. — Dum Sacerdos dicit: Misereatur etc., spem veniae in te excita. — Ad visum sacratissimae Hostiae dic: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea. — In ipsa sumptione sacrosanctae Hostiae cogita: Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat

animam meam in vitam aeternam. Amen. — Immediate post communionem: Benedic anima mea Domino et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus. — Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. — Benedictus, qui venit in nomine Domini. — Honor, virtus et fortitudo Deo nostro.

Dum a mensa Communionis recedis.

Quod concupivi, jam video; quod speravi, jam teneo; quod desideravi, jam habeo; possideo eum, qui potest et possidet omnia. Vivo ego, jam non ego: vivit vero in me Christus. O me felicem! quam potentem suscepi Dominum! quam dilectum induxi hospitem! quam fidelem acceptavi amicum! Omnipotens, qui est ante saecula, Filius Dei, Redemptor meus, judex meus, Deus requiescit in corde meo. — Quam suavissimus est Domine Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de caelo praestito esurientes repleas bonis!

Quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? Vere, quos dilexisti, in finem dilexisti eos. Cum non essem, e nihilo eduxisti me; cum per peccatum inimicus tuus essem, in gratiam recepisti me; cum viverem abjectus in domo mea, de pulvere eduxisti me, et constituisti me cum principibus populi tui, ut comederem panem, et biberem vinum in mensa tua, in qua ineffabili prorsus amore carnem tuam in cibum, et sanguinem tuum in potum

mihi dare dignatus es. Et ego te non redamem, o Jesu amantissime? Utinam eo erga te flagrarem amore, quo flagrarunt devoti, qui debita praeparatione ac fructu hoc Sacramentum unquam receperunt, quo flagrarunt omnes sancti tui, quo flagravit mater tua, quo tu ipse in nos flagrasti! Utinam ita unus essem tecum, ut tu cum Patre unus es! Utinam adhaererem tibi, uti palmes adhaeret viti! Utinam neque vita, neque mors, neque instantia, neque futura, neque creatura ulla unquam me separarent a caritate tua! Hoc volo, hoc desidero, hoc tota mente concupisco; hoc et maxima cum fiducia spero. Memini enim benedictionum, quibus cumulasti eos, qui te aliquando suscepere. Maria, mater tua, ubi te in suum accepit uterum, gratiae donis impleta est. Zachaeo publicano, cujus usus es hospitio, salus a te facta est. Imple igitur et me Domine Spiritu tuo, et benedic domui, quam ingressus es. Concede mihi Spiritus tui fervorem, amoris tui svavitatem, fraternae dilectionis sinceritatem, in tentationibus fortitudinem, in adversis patientiam, in prosperis humilitatem, in ore veritatem, in opere stabilitatem, in moribus gravitatem. Gratia tua mecum sit, mecum laboret, et mecum usque in finem perseveret. Da cor vigil, quod nulla a te abducat tentatio; da nobile, quod nulla subjuget perversio. Fac me hilarem sine dissolutione, agilem sine levitate, et veracem sine duplicitate. Auge in me fidem, spem et caritatem, quae non resideat in lingua, sed quae se prodat servando mandata tua. Largire mihi intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem,


sapientiam te invenientem, atque gratiam tibi placentem. Sanctifica, conforta ac defende me. Sis dux meus in via, in dubio magister, solamen in angustiis, salus in agone. — Custodi me, ne diligam mundum, nec ea, quae in mundo sunt, ne in peccandi consuetudinem incidam, ob quam necesse foret in senectute, juventutis meae crimina deflere. Protege me contra inimicos meos, qui multa mala mihi machinantur in his, quae ad animam vel corpus pertinent, quique me seducere, et quae impia sunt, student docere. Mitigasti tribus pueris flammam ignium: da et mihi, ut non me exurat flamma vitiorum. Da mihi castitatem, quae immunis sit ab omni violentia vel illicito consensu, et quam nec impura cogitatione, nec verbo obsceno polluam. Fac, ut quotidie in virtute proficiam; ut tranquilla et pura conscientia tibi serviam; ut parentibus et iis, quorum tutelae traditus sum, prompto animo obediam, atque voluntatem tuam faciam, ad quamcunque vivendi rationem me vocare dignatus fueris. Perceptio corporis tui non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam; sit scelerum meorum ablutio; sit peccatorum meorum remissio; sit fragilitatis meae fortitudo; sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae ac libidinis exterminatio, turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio; sit omnium virtutum augmentatio; sit motuum meorum perfecta quietatio; sit in te uno ac vero Deo firma adhaesio; sit contra mundi pericula firmamentum; sit medicina vitae; sit memoria passionis tuae; sit

viaticum peregrinationis meae. Curet debilitatem meam, foeditatem lavet, caecitatem illuminet, paupertatem ditet, vestiatur nuditatem. Euntem me conducat, errantem me reducat, revertentem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, et perseverantem me in gloriam introducat. Det gratiam et illis, pro quibus orare teneor, omnibusque vivis, ut tibi placeant; largiatur denique vitam beatam defunctis.

Scrutator cordium et renum! tu formasti me, et suscepisti me a nativitate mea. Quidquid possum, quidquid possideo, quidquid sum, id totum largitus es mihi. Obtulisti te pro me in cruce, et in Eucharistia dedisti mihi corpus et sanguinem tuum. En servus tuus, Domine! Omnia mea tua sint! Totum me tibi devoveo; quidquid cogito, loquor, operor ac patior, te respiciat. Omnes facultates animae viresque corporis tuo sint consecratae servitio. Habeto me in servum sempiternum. Salva animam meam, quam pretioso sanguine redemisti, ac toties hoc amoris pabulo refecisti. Hora denique mortis voca me, dimitte me in pace, ac jube me venire ad te, ut te, quem nunc speciebus velatum peregrinans video, facie ad faciem intuear in patria, et cum omnibus sanctis suis laudem te in saecula saeculorum. Amen.

Precibus his jungere poteris Canticum Zachariae: Benedictus Dominus Deus Israel. — Ceterum dies communionis sit tibi solemnis. Invigila tibi; cave ab omni, utut levi peccato, imo etiam a peccandi

periculo te aliena. Per diem saepius tam insignis gratiae Dei recordare; lege librum spiritualem, et, si per circumstantias licet, etiam post prandium Sanctissimum in ecclesia adora.



ADORATIO SS. EUCHARISTIAE.

Cum Jesus Christus in Sacramento Eucharistiae praesens sit, hanc praesentiam tanquam specialis ejus in te amoris et beneficentiae pignus respicias, ac ad eum piis vivae fidei, spei, caritatis et adorationis actibus, veluti ad amicum, advocatum et in omni necessitate adiutorem fidelissimum, frequenter recurras. Adores eum ea humilitate, qua magi, qua leprosus atque caecus procidentes adoraverunt eum: adeas eum ea fiducia, qua mulier chanaanica ac tot infirmi ipsum adivere, qui propterea etiam votorum suorum compotes facti ab ipso recessere. Exstimules te ad omnis virtutis exercitationem, ad ardentissimum imprimis erga Jesum Christum, et fratrum ejus amorem; aliosque eodem amore inflammare pro viribus coneris. Hunc in finem precibus, litanis de venerabili Sacramento, atque etiam illis, quae immediate sequuntur de SS. Nomine et Corde Jesu, uti poteris.

Adoro te supplex, latens Deitas, quae sub his figuris vere latitas.

Tibi se cor meum totum subjicit, quia te contemplans totum deficit.

Visus, gustus, tactus in te fallitur; sed auditu solo tuto creditur.

Credo, quidquid dixit Dei Filius: nil hoc veritatis verbo verius.

In cruce latebat sola Deitas; at hic latet simul et Humanitas:

Ambo tamen credens atque confitens, peto, quod petivit Latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor: Deum tamen meum te confiteor.

Fac me tibi semper magis credere; in te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini, panis vivus, vitam praestans homini,

Praesta menti meae de te vivere, et te illi semper dulce sapere.

O fons puritatis Jesu Domine, me immundum munda tuo sanguine,

Cujus una stilla salvum facere totum quit ab omni mundum scelere.

Jesu, quem velatum nunc aspicio, oro fiat illud, quod tam sitio:

Ut te revelata cernens facie, visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

O Jesu, quam magnus es et laudabilis nimis! Nonne tibi subjecta erit anima mea? Major es omni laude, nec laudare te sufficio; cernuus tamen Augustum hoc veneror Sacramentum.

Propitius esto mihi peccatori, sicut propitius fuisti Publicano. Peccavi, nec sum dignus oculos levare in caelum. Peccatorum primus oro supplex, ut miserearis mei; doleo de peccatis meis propter te summe dilectum. Accipe sacrificium spiritus contribulati, et dimitte me justificatum in pace.

Quamvis te frequenter recipiam, confiteor tamen cum Centurione, quod non sim dignus, ut intres sub tectum meum; sed permittas saltem, quaeso, ut in hoc Sacramento te adorans, defectus defleam in Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti susceptione commissos. Felix, si te debita cordis puritate ac mentis devotione recipiam.

Ecce, quem amas, infirmatur! Sana me, sicut sanasti caecum, leprosos et quotquot detinebantur infirmitate. Propter me enim homo factus es, redemisti me pretioso sanguine tuo; mei amore jugiter in hoc altari resides, meque sanctissimo corpore tuo toties reficis.

O Jesu, qui venisti a Deo magister, et viam Dei in veritate doces; doce me legem tuam, et fac, ut non auditor tantum sim verbi, sed et factor.

Domine, salva me, ne peream. Impera ventis et mari, ut fiat tranquillitas magna, atque ad aeternae felicitatis portum secure veniam. O salutaris Hostia, quae caeli pandis ostium; bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium.


O Jesu, recordare verbi tui: Petite et accipietis. Da mihi saltem micras, quae cadunt de mensa tua; da cor humilitatem amans, et quidquid expedit ad gloriam tuam meamque salutem.

O Pater aeternae! peccavi, mereor iram tuam; sed Sanguis Filii tui misericordiam ad te pro me clamat. Obtulit se in ara crucis, et nunc se offert in hoc altari in remissionem peccatorum: averte igitur indignationem tuam a me.

O Jesu, quando ex una parte recogito hanc mirabilium tuorum, quam fecisti, memoriam; ex altera vero stupendam ingratitude tot hominum, confundor, et fio mihimet ipsi gravis. Reple cor meum amaritudine, ut vero contritus dolore, possim tibi aliquantum satisfacere. Quam tristis est anima mea, quod tot infideles praesentiam tuam realem in hoc Sacramento non credant; quod ab infidelibus in templis tuis non visiteris; quod tremendo Missae Sacrificio a pluribus tam irreverenter assistatur; quod filii ingrati hoc sacrum convivium, in quo ipse sumeris, in quo recolitur memoria passionis tuae, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur, tanquam cibum levissimum fastidiant, vel manducantes et bibentes indigne, judicium sibi manducant et bibant; quod ego praecipue prae ceteris gravius peccaverim, quod ego nequam fuerim, quia tu fuisti bonus! De tua solum pietate confisus supplex oro: Parce mihi Domine, parce populo tuo; ubi abundavit delictum, superabundet et gratia: ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis. Parce mihi indignissimo servo tuo; non enim habeo fiduciam nisi in tua misericordia, anxietur cor meum in recogitatione abominationum mearum. Propono firmiter cum tua gratia me emendare, fideque immobili, viva spe atque caritate fervida hoc magnum mysterium venerari ejusque devotionem ceteris frequenter insinuare, ut reverentia hujus Sacramenti in dies crescat, donec te facie ad faciem videamus.

O Jesu! offero tibi cogitationes meas, eloquia ac opera mea, meque ipsum in hostiam viventem in unione divinae illius intentionis, qua ipse in terris te Patri obtulisti. Benedic mihi Domine, qui fecisti caelum et terram, et veniant mihi cum benedictione tua omnia bona! Amen.

Laudetur jugiter jure Sacrificium, sanctissimum Altaris Sacramentum! Quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficis, in aeternum licet laudaveris! Sit laus plena, sit sonora, sit jucunda, sit decoramentis jubilatio. Omni die, omni hora, omni sine termino, vespere et mane et meridie, gaudeamus et exulemus, et demus gloriam ei. Ad agnitionem, adorationem et laudem ejus convertantur universi fines terrae, et adorent in conspectu ejus universae Familiae Gentium, quoniam dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et Divinitatem, et sapientiam et fortitudinem, et honorem et gloriam et benedictionem: et omnis creatura, quae in caelo est, et super terram et sub terra, et quae sunt in mari, omnes, omnes concinant: Sediti in throno et Agno abscondito, immaculato Benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum. Requiem non habentes die ac nocte acclamemus ei: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est, Alpha et Omega, primus et novissimus, primum universorum principium et ultimus **FINIS.**



ALIA SALUTATIO

SS. SACRAMENTI ALTARIS.

Salve nobilissimum Corpus et pretiosissime Sanguis Domini mei Jesu Christi, sub hac panis specie vere praesens, te adoro tali cultu et devotione, qua novem Angelorum chori te venerantur et colunt. Coram te procido in spiritu humilitatis, credens et confitens, quod tu Dominus meus et Deus meus vere hic continearis.

Salve nobilissimum Corpus Salvatoris mei Jesu Christi, vera hostia in cruce immolata. Adoro te in unione istius adorationis, qua Humanitas tua adoravit Divinitatem: et cum affectu totius Universitatis ago tibi gratias, quod pro salute nostra hic delitescere digneris.

Salve pie Jesu, Verbum Patris, Splendor gloriae, Fons pietatis, Salus mundi, sacra Hostia. Salve Jesu Christe, Splendor Patris, Princeps pacis, Janua coeli, Panis vivus, Virginis partus, Vas Deitatis.

Credo firmissime, quod tu Deus meus hic praesens sis, meque ex hoc Sacramento intuearis, atque intima cordis mei perspicias. Credo, quod sub hac panis specie non solum Caro et Sanguis tuus, verum etiam Deitas et Humanitas tua contineantur. Quod licet intelligere nequeam, adeo tamen firmiter credo, quod vitam et sanguinem meum pro ea veritate profundere paratus sim.

Coram te, ô SS. Sacramentum, cum summa reverentia procido, et cum omnibus Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cum Cherubinis et Seraphinis, cumque omni militia coelestis exercitus, Hymnum gloriae tuae concino, dicens: Centies millies laudetur SS. Altaris Sacramentum.

O intima medulla paterni cordis, gratias tibi ago per mutuam gratitudinem colendae semper et adorandae Trinitatis, pro eo, quod hoc inaestimabile Sacramentum instituisti, per quod coeli et terra reconciliantur, et immensis gratiarum donis perpetuo replentur.

Glorifico et magnifico sapientem et benignam omnipotentiam tuam, laudo et adoro omnipotentem et benignam sapientiam tuam: benedico et gratias ago omnipotenti et sapienti Benignitati tuae, Christe Jesu, quod praeva- luisti, scivisti et dignatus es in salutis nostrae subsidium hoc praemagnificum Sacramentum instituere.

O unica et vera fiducia animae meae, Christe Jesu, te laudo, te amo, te colo, te adoro atque humillime deprecor, ut in hac hora te Deo Patri pro nimis debitis meis offeras, sicut teipsum in cruce pro totius mundi reatu obtulisti.

O Christe Jesu, dulcis et unicus amor meus, oculis piissimae misericordiae tuae respice me indignissimum humiliter coram te prostratum, atque peccatorum meorum veniam toto corde poscentem.

O Flos nobilissime de radice Jesse per ineffabilem amorem praedulcissimi cordis tui

miserere mei, et recipe me in gratiam tuam propter gloriam nominis tui.

O Pater amantissime, offero tibi hunc dilectum Filium tuum in perpetuae laudis tuae holocaustum, et in propitiationis peccatorum nostrorum juge sacrificium. Respice quaeso in faciem Christi tui, et memento illius copiosissimae satisfactionis, quam tibi pro peccatis nostris pendit in cruce, et miserere nostri. Amen.

Commendato sui.

Commendo me tibi, ô bone Jesu! intra mellifluum cor tuum, absconde me, nec per-
mitte me in aeternum separari à te. Sis mihi in vita solatium: in morte viaticum: in aeternitate praemium. Id rōgo te pro me, omnibus amicis meis per lacrymas, sudorem et sanguinem tuum. Amen.

Petitio benedictionis.

Benedic mihi Domine Jesu, cum Patre et sancto Spiritu, uberemque largire gratiam amplectendi semper, et in omnibus, nunc, et in hora mortis tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

Affectus ad Jesum in sanctissimo Altaris Sacramento.

O Jesu, fons vitae, refrigera me, et ubertate tua in aeternum refice me.

O Jesu, agnus Dei! quocunque ieris, da sequi te.

O Jesu, pax mea et gaudium meum, visita et recrea me.

O Jesu, sanctificator meus, fac, in justitia et sanctitate serviam coram te.

O Jesu, protector meus, sub umbra alarum tuarum protege me.

O Jesu, fortitudo mea, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

O Jesu, propugnaculum meum, sustenta et tuere me.

O Jesu, adjutor meus et firmamentum meum, adjuva et erige me.

O Jesu, perseverantia mea, in conspectu tuo in aeternum confirma me.

O Jesu, sponsor meus, vim patior, responde pro me.

O Jesu, amor meus, transforma et sanctifica me.

O Jesu, Deus cordis mei, quando effundam totum cor meum in te?

O Jesu, judex meus, donec pertranseat furor tuus, absconde, et tandem absolve me.

O Jesu, gloria mea, in misericordia tua corona me, ut in aeternum perfruar te. Amen.

Oratio ad Jesum.

O Jesu amor meus! en effundo animam meam in conspectu tuo. Spes mea Jesu! tui amoris igne ardere desidero. Quocirca te suppliciter exoro, dignare tui amoris ignem de coelo mittere, qui cor meum et viscere inflammet.

Te deprecor per pretiosissimum sanguinem tuum, o Jesu, ut abluas omnes iniquitates

meas. Redemptor meus Christe Jesu! totum me tibi trado. Uni me tibi, non me repellas; Spiritum sanctum tuum ne auferas a me, ne me perdat iniquitas mea, quem creavit bonitas tua. O mi Deus! cupio toto cordis affectu, ut omnes te agnoscant et colant, ut totus orbis tibi serviat, et te unum laudet nunc et in aeternum. Amen.

Amantissime Domine Jesu Christe, obsecro te per amorem illum perfectissimum, quo salutem nostram zelando, ubique fideliter aequae ac ferventer eam quaeris: da mihi rectam, puram, simplicem, ac Deo placentem in singulis intentionem, ut in quibuscunque agendis, et vivens, et moriens, non aliud quaeram aut intendam, quam pure gloriam et beneplacitum tuum. Haec da mihi, ut te ex toto corde meo diligam, et quaeram in tempore et aeternitate. Amen.


Oratio contra carnis tentationes.

Tu scis, bone Jesu, quam acri certamine carnis incendia me fatigent, et quo continuo in periculo mea fragilitas versetur, agnoscis. Ne sinas, Domine Jesu, et tu, sanctissima Virgo Maria, ut tam immani scelere me obstringam, ut propter vilem et momentaneam carnis delectationem vestram velim amicitiam, et aeternam beatitudinem perdere. Adjuva me, Christe Jesu, ut probe in omni meo certamine decertem, et per tuae gratiae rorem omnis in me carnis inflammatio extinguatur;

ut per tuam misericordiam corpus et animum meum castum et purum conservem; ut impuras carnis voluptates non solum fugiam, sed et perhorrescam. Amen.

Oratio pro populo christiano.

Omnipotens sempiterne Deus! respice super universum populum christianum, effunde super ipsum Spiritum gratiae salutaris, eumque a vitiis purga, virtutibus illustra, carnalia desideria ab eo repelle, mentes ad coelestia desideria erige, aërem salubrem ac terrae fertilitatem tribue, et pacem tuam sanctam nostris temporibus concede; a peste, fame, bello, incendiis, jurgiis, schismate, et omni hostili nequitia nos protege, omnesque a via veritatis aberrantes ad viam rectam reducere dignare. Ecclesiam tuam sanctam exalta, et adauge ovile unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.



LITANIAE

DE VENERABILI SACRAMENTO.



Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie
eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de caelis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere
nobis.

Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas, unus Deus,

Panis vivus de caelo descendens,

Deus absconditus et Salvator,

Fruentum Electorum,

Vinum germinans Virgines,

Panis pinguis et deliciae Regum,

Juge Sacrificium,

Oblatio munda,

Agnus absque macula,

Mensa purissima,

Angelorum esca,

Manna absconditum,

Memoria mirabilium Dei,

Panis supersubstantialis,

Verbum, Caro factum, habitans in nobis,

miserere nobis.

Calix benedictionis,
 Mysterium fidei,
 Praecelsum et Venerabile Sacramentum,
 Sacrificium omnium sanctissimum,
 Vere propitiatorium pro vivis et defunctis,
 Caeleste antidotum, quo a peccatis prae-
 servamur,
 Stupendum super omnia miraculum,
 Sacratissima Dominicae Passionis comme-
 moratio,
 Donum transscendens omnem plenitudinem,
 Memoriale praecipuum divini amoris,
 Divinae affluentia largitatis,
 Sacrosanctum et augustissimum mysterium,
 Pharmacum immortalitatis,
 Tremendum ac vivificum Sacramentum,
 Panis omnipotentia Verbi Caro factus,
 Ineruentum Sacrificium,
 Cibus et Conviva,
 Dulcissimum convivium, cui assistunt An-
 geli ministrantes,
 Sacramentum pietatis,
 Vinculum caritatis,
 Offerens et Oblatio,
 Spiritualis dulcedo, in proprio fonte de-
 gustata,
 Refectio animarum sanctarum,
 Viaticum in Domino morientium,
 Pignus futurae gloriae,
 Propitius esto, parce nobis Domine.
 Propitius esto, exaudi nos Domine.
 Ab indigna Corporis et Sanguinis tui suscep-
 tione, libera nos Domine.

miserere nobis.

A concupiscentia carnis,
 A superbia vitae,
 Ab omni peccandi occasione,
 Per desiderium illud, quo hoc Pascha cum
 discipulis manducare desiderasti,
 Per summam humilitatem, qua discipulorum
 pedes lavasti,
 Per ardentissimam caritatem, qua hoc di-
 vinum Sacramentum instituisti,
 Per Sanguinem tuum pretiosum, quem no-
 bis in altari reliquisti,
 Per quinque vulnera hujus tui Corporis
 sacratissimi, quae pro nobis suscepisti,
 Peccatores, te rogamus, audi nos.

libera nos Domine.

Ut nobis fidem, reverentiam et devotionem
 hujus admirabilis Sacramenti augere et
 conservare digneris,
 Ut ad frequentem Eucharistiae usum per
 veram peccatorum confessionem nos per-
 ducere digneris,
 Ut nos ab omni haeresi, perfidia ac cordis
 caecitate liberare digneris,
 Ut in hora mortis nostrae hoc caelesti via-
 tico nos confortare et munire digneris,
 Ut ad coenam vitae aeternae nos perdu-
 cere digneris,

te rogamus, audi nos.

Fili Dei,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce no-
 bis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi
 nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere
 nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

℣. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus.

℞. Escam dedit timentibus se.

℣. Panem de caelo praestitisti eis Domine.

℞. Omne delectamentum in se habentem.

℣. Ex altari tuo Domine, Christum sumimus.

℞. In quem cor et caro nostra exultant.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera nos per tremendum Corporis et Sanguinis tui Sacramentum ab omnibus iniquitatibus nostris et universis malis, et fac nos tuis semper inhaerere mandatis, nec a te unquam separari permittas.

Deus, qui nos, imaginem tuam, Sacramentis renovas et praeceptis: perface gressus nostros in semitis tuis, et caritatis tuae donum, quod fecisti a nobis sperari, per tuam clementiam efficaciter facias apprehendi.

Deus, qui diligentibus te bona invisibilia praeparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia diligentes, promissiones tuas, quae omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

VENERATIO SS. NOMINIS JESU.

In festo ejusdem.

Vide pag. 126. Lect. & Orat. de Indulgentia.

Victis sibi cognomina sumant tyranni gentibus: tu Christe, quanto dignius ab his capis, quos liberas!

Non alterum mortalibus aegris, quod invocent, datum, resurgerent quo mortui, perenne per quod viverent.

Tanti quod illi constitit, toto quod emptum sanguine, nostrone rursus crimine, insana gens, delebimus?

Sacro pati pro nomine summi sit instar muneris, amara non mors amplius, fit mors per hoc amabilis.

Tu qui vocari sustines, Jesu, salus mortalium: audi vocantes nos, tuo qui gloriamur Nomine.

V. Salvavit eos propter nomen suum. **R.** Ut notam faceret potentiam suam.

Oremus. Deus, qui unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem,

et Jesum vocari jussisti: concede propitius, ut qui ejus sanctum nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruamur in caelis. Per eundem Dominum etc.

LITANIÆ DE SS. NOMINE JESU.

Kyrie, eleison.

Christe, eleison.

Kyrie, eleison.

Jesu, audi nos.

Jesu, exaudi nos.

Pater de caelis, Deus,

Fili, Redemptor mundi, Deus,

Spiritus sancte, Deus,

Sancta Trinitas, unus Deus,

Jesu, Fili Dei vivi,

Jesu, Splendor Patris,

Jesu, candor lucis aeternae,

Jesu, Rex gloriae,

Jesu, Sol justitiae,

Jesu, Fili Mariae Virginis,

Jesu, admirabilis,

Jesu, Deus fortis,

Jesu, Pater futuri saeculi,

Jesu, magni consilii Angele,

Jesu, potentissime,

Jesu, patientissime,

Jesu, obedientissime,

Jesu, mitis et humilis corde,

Jesu, amator castitatis,

Jesu, amator noster,

Jesu, Deus pacis,

miserere nobis.

Jesu, auctor vitae,
 Jesu, exemplar virtutum,
 Jesu, zelator animarum,
 Jesu, Deus noster,
 Jesu, refugium nostrum,
 Jesu, Pater pauperum,
 Jesu, thesaure fidelium,
 Jesu, bone Pastor,
 Jesu, lux vera,
 Jesu, sapientia aeterna,
 Jesu, bonitas infinita,
 Jesu, via, veritas, et vita nostra,
 Jesu, gaudium Angelorum,
 Jesu, Magister Apostolorum,
 Jesu, Doctor Evangelistarum,
 Jesu, fortitudo Martyrum,
 Jesu, lumen Confessorum,
 Jesu, puritas Virginum,
 Jesu, corona Sanctorum omnium,
 Propitius esto, parce nobis Jesu.
 Propitius esto, exaudi nos Jesu.

miserere nobis.

Ab omni peccato,
 Ab ira tua,
 Ab insidiis diaboli,
 A spiritu fornicationis,
 A morte perpetua,
 A neglectu inspirationum tuarum,
 Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
 Per nativitatem tuam,
 Per labores tuos,
 Per agoniam et passionem tuam,
 Per crucem et derelictionem tuam,
 Per languores tuos,
 Per mortem et sepulturam tuam,

libera nos Jesu.

Per resurrectionem tuam,
 Per ascensionem tuam,
 Per gaudia tua,
 Per gloriam tuam,
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce
 nobis Jesu.

} libera nos
 Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi
 nos Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere
 nobis Jesu.

Jesu, audi nos. Jesu exaudi nos.

Ÿ. Confitebimur tibi Deus, R. et invoca-
 bimus nomen tuum.

Oremus. Deus qui unigenitum etc. *ut
 supra pag. 157.*

Deus, qui gloriosissimum nomen Jesu
 Christi Filii tui Domini nostri, fecisti fidelibus
 tuis summo suavitatis affectu amabile, et ma-
 lignis spiritibus tremendum atque terribile: con-
 cede propitius; ut omnes, qui hoc nomen Jesu
 devote venerantur in terris, sanctae consolatio-
 nis dulcedinem in praesenti percipiant, et in
 futuro gaudium exultationis et interminabilis
 beatitudinis obtineant in coelis. Per eundem
 Dominum nostrum.

Oratio ad nomen Jesu.

O bone Jesu, ô piissime Jesu, ô dul-
 cissime Jesu, ô Jesu Fili Dei et Mariae Vir-
 ginis, plene misericordia et pietate; ô dulcis
 Jesu secundum magnam misericordiam tuam, mi-
 serere mei. O clementissime Jesu, per pretiosum

illum sanguinem, quem pro peccatoribus effudisti, deprecor te, ut abluas omnes iniquitates meas, et in me miserum et indignum, humiliter veniam petentem, et hoc sanctum Nomen Jesu invocantem respicias. O Nomen Jesu, Nomen delectabile! Nomen Jesu, Nomen amabile! Quid est enim Jesus nisi Salvator? ergo Jesu, propter Nomen sanctum tuum esto mihi Jesus, et salva me. Ne permittas me damnari, quem pretioso sanguine tuo redemisti. O bone Jesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O benignissime Jesu, miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me, dum tempus est judicandi. O piissime Jesu, si me damnare velit tua severa justitia, appello et confugio ad tuam piissimam misericordiam. O amantissime Jesu, ô desideratissime Jesu, ô mitissime Jesu, ô Jesu, Jesu, Jésus suscipe me in numerum Electorum tuorum. O Jesu salus in te credentium, ô Jesu fiducia ad te confugientium, ô Jesu dulcedo te amantium; fac, ut diligam te, tibi que fideliter adhaeream, et post hanc miseriam feliciter ad te perveniam, Amen.

Salutatio SS. cordis Jesu.

Salve Cor Jesu dulcissimum, suavisonum SS. Trinitatis organum. Salve cor Jesu mellifluum, omnis bonitatis et gratiae vivum profluvium. Salve cor Jesu amantissimum, omnium divitiarum Dei nobilissimum triclinium. Millies et millies benedico et saluto te in divina boni-


tate, qua es fons et origo, ex qua omnis bonitas et misericordia scaturit. O nobile et pretiosum cor Jesu Christi, per mutuam gratitudinem colendae Trinitatis saluto et adoro te in abundantia omnium gratiarum, quae effluxerunt, et sine fine effluent in omnes sanctas et devotas animas, quas toties irrigasti et inebriasti torrente divinae voluptatis tuae.

O Cor Jesu, cor dulce. O cor Jesu, cor suave. O cor Jesu, cor amabile. O cor manans dulcedine, redundans pietate, supereffluens charitate. In tuam intimam medullam immergo meum spiritum, et in profundo tuae misericordiae sepelio totum pondus iniquitatis et negligentiae meae. Tibi offero omnes meos labores et sudores; tibi dedico omnes meas angustias et miseras: tibi commendo vitam et finem vitae meae. O cor, thymiama dulcissimum, incensum suavissimum; sacrificium dignissimum: offer te metipsum super reconciliationis humanae altare aureum, in supplementum omnium meorum, quos vixi, dierum, in quibus Deo non detuli fructum.

Benedico te cor Jesu nobilissimum in illo amore, quo à Spiritu sancto ex castissimo Mariae Virginis sanguine es creatum. Glorifico te cor Jesu dulcissimum in illo amore, quo à SS. Trinitate omnibus coelestibus bonis es decoratum. Magnifico te cor Jesu mitissimum in illo amore, quo semper erga genus humanum arsisisti. Veneror te cor Jesu benignissimum in illo amore, quo in Cruce moriens disruptum fuisti. Collaudo te cor Jesu fidissimum in illo

amore, quo lancea transverberari sanguinemque et aquam distillare voluisti.

Te igitur, ô superdignissima Trinitas, per illud superbenedictum cor laudo glorifico et benedico, quod potueris, sciveris atque volueris huic nobilissimo cordi tam multiplicia dona, gratiarumque abundantiam conferre: et summo, quo possum, affectu et reverentia offero tuae supremæ Majestati idipsum cor dulcissimum ac unice dignissimum in ea dignitate, qua plenum est divina gratitudine, ac omnimodæ beatitudinis perfectione superexcellens in perpetuum: orans, ut per illud ipsum supplere, ac perfecte restaurare digneris, quidquid mali commisi, et in omni bono neglexi. Amen.



CULTUS BEATÆ MARIE VIRGINIS.

Inter Sanctos omnes primum facile locum occupat beatissima Virgo Maria. Huic Pater caelestis Archangelum misit; hanc Gabriel, Elisabeth ac Simeon honorarunt; hanc Christus ipse honoravit, hac enim intercedente primum patravit miraculum, eamque moriens, discipulo, quem diligebat, commendavit.


Maria mater est Domini nostri Jesu Christi, quem de Spiritu Sancto concepit. Quid nobilius Dei matre, quid splendidius ea, quam Splendor elegit? quid castius ea, quae Virgo in aevum permansit? Est insuper mater nostra,

advocata nostra, regina caeli, refugium peccatorum et auxilium Christianorum. Refulget in ea species castitatis ac forma virtutis; vita ejus omnium est disciplina. Ejus vivendi ratio, quid corrigere, quid effugere, quidque tenere debeas, ostendit. Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente; corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quaerere. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Cole itaque illam. Sic imitaberis Augustinum, Ambrosium, Joannem Damascenum, Anselmum, Bernardum, Bonaventuram aliosque plurimos, tum scientia, tum sanctitate conspicuos viros, qui singularem ei cultum detulere. Placet patri, qui diligit filiam; placet filio, qui diligit matrem; placet sponso, qui diligit sponsam. Quare ora in honorem beatæ Mariæ Virginis; celebra festa ejus, saltem majora, perceptione Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae; praecipue vero nunquam des oblivioni verba illa matris Jesu: Quaecunque dixerit vobis (*Christus*), facite. — Imitare denique puritatem, humilitatem, modestiam, caritatem, resignationem in divinam voluntatem, ceterasque virtutes ejus, ut sperare tibi liceat, eam se tibi monstraturam matrem nunc et in hora exitus tui.

Specialis formula eligendi B. V. in singularem Patronam.

(Quotidie renovanda.)

Sancta Maria, Mater Dei et Virgo, ego indignissimus famulus tuus te hodie in Dominam, Patronam et Advocatam eligo, firmiterque statuo ac propono, me nunquam te derelicturum, nec contra te aliquid unquam dicturum, aut facturum, neque permissurum, ut à meis sensibus aliquid contra tuum honorem unquam agatur: ad haec profiteor, tuam sanctam Conceptionem esse Immaculatam et à labe originalis peccati prorsus immunem, ob cujus defensionem omnia tormenta omniaque martyria libentissime subirem: Obsecro te igitur, suscipe me in servum perpetuum, adsis mihi in actionibus omnibus meis, nec me deseras in hora mortis meae. Amen.



HEBDOMAS MARIANA.

Die Dominica.

Sancta Maria, benigna coeli Regina, Filia Dei Patris, Mater Dei Filii, Sponsa Spiritus sancti, à Patre electa, à Filio praeservata, à Spiritu sancto dilecta, et omni gratia repleta. Per te et propter te benedicat mihi Deus Pater, qui me creavit, benedicat Deus Filius, qui

suo pretiosissimo sanguine me redemit, benedicat mihi Deus Spiritus sanctus, qui me in baptismo sanctificavit, totaque sanctissima Trinitas tua intercessione suscipiat animam meam in hora mortis.

O Sancta Maria, Regina clementiae, sub tuum praesidium ac defensionis clypeum confugio, sub tegmine alarum tuarum maternaeque protectionis vivere et mori volo.

O Sancta Maria, Mater pulchrae dilectionis, in hora mortis sis mea defensio et firmum auxilium, ut confundantur, qui quaerunt animam meam ad perdendum illam.

O Sancta Maria, dulcissima Virgo, nunc benedic mihi secundum magnam misericordiam tuam, et in doloribus mortis conforta, et consolare me secundum omnem benignitatem tuam.

O Sancta Maria, potens Advocata, concede mihi vivere in tua materna benedictione, ut sub tua virginea custodia feliciter moriar.

O Sancta Maria, vita et dulcedo mea, effunde super me spiritum gratiae tuae, suscipe me in tui amoris sinum, et in mortis articulo benedicat mihi anima tua.

O Sancta Maria, coelestis gloriae Regina, in superabundans et inexhaustum mare tuarum gratiarum me demergo, inter brachia congenitae tibi pietatis me projicio, in corde tuo habitare firmiter eligo, ibique feliciter mori opto.

O Sancta Maria, Jesu et Maria sit ultima vox mea, ultima invocatio: mane mecum, ô Maria, quando advesperascet ad mortem, et inclinabitur dies vitae meae.

O Sancta Maria, Dei Genitrix Virgo, in hora mortis meae fac me audire vocem tuam in voce exultationis et salutis, ostende mihi faciem tuam; vox enim tua suavis, et facies tua decora.

O Sancta Maria, in hora mortis meae Deo Patri me commenda, Deo Filio me reconcilia, Deo Spiritui sancto me repraesenta, ut possim dicere: Benedicta sit sancta et individua Trinitas, quia fecit mecum misericordiam suam. Amen.

Die Lunae.

O Sancta Maria, Virgo virginum, Mater Dei et omnium, qui sunt in purgatorio, quae animas illas tua praesentia saepissime consolaris, intercessione liberas, et divina largiente gratia ex igne afflictionis, et aqua tribulationis ad aeternum ducis refrigerium: impetra mihi apud Filium tuum dilectum cor humile et contritum, intercede pro me, ut conscientia bona et pura finiam vitam meam.

O Sancta Maria, Mater divinae gratiae, utinam inveniam per te apud Deum misericordiam, et remissionem omnium meorum peccatorum in hora mortis meae.

O Sancta Maria, omnium virtutum Mater, ora pro me, ut in gratia Dei semper vivens, feliciter tandem moriar.

O Sancta Maria, castissima Mater, unica post Deum mea fiducia, in qua confido, ne derelinquas me Domina salutis meae, ne irrideant me inimici mei, cum angustiatus fuerit spiritus meus.

O Sancta Maria, Mater inviolata, nunc et in hora mortis sis spes mea, cum defecerint dies mei et anni mei in gemitibus, quando dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum non erit mecum, tunc exurge in adiutorium mihi.

O Sancta Maria, Mater intemerata, tuae gratiae plenitudo suppleat omnes defectus vitae meae, responde pro me, quando adhaerebit lingua mea faucibus meis, et in pulverem mortis deducentur ossa mea.

O Sancta Maria, Mater amabilis, roga Filium tuum, ut cum ipsi placuerit, educat de custodia animam meam ad confitendum nomini sancto suo, et in abundantia charitatis erga Deum et proximum ita ingrediar sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.

O Sancta Maria, Mater admirabilis, dirige gressus vitae meae in beneplacito dilecti Filii tui, ut merear bonis operibus ita abundare, ut, cum in hora mortis defecero, recipiat me in aeterna tabernacula.

O Sancta Maria, Mater Creatoris, dignare tua intercessione sic animam meam divinae voluntati conformare, ut ad ultimum usque spiritum semper dicam: si vis, ut transeat anima mea, fiat voluntas tua.

O Sancta Maria, Mater Salvatoris, in hora mortis meae dic, quod mater mea sis, ut bene sit mihi, et vivat anima mea propter te. Et si contigerit, ut mittar in carcerem illum ardoris, donec solvero universum debitum, descendat mecum misericordia tua, quae in flammis me refrigeret, in tormentis soletur, ut

possim dicere: secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificant animam meam. Eja Mater, tunc ad adjuvandum me festina, non dimittas Filium tuum, donec benedixerit mihi, et ideo universum debitum remittat mihi, quoniam rogâsti illum. Amen.

Die Martis.

O Sancta Maria, Regina Angelorum, quae sola digna fuisti, praesalutata ab Angelo eum concipere, cui omnes Angeli famulantur, cujus mandato Angeli custodiunt nos in omnibus viis nostris, solliciti semper de communi nostra salute, ne unquam offendamus ad lapidem pedem nostrum, donec introducant nos in locum, quem praeparavit nobis Dominus. Jube ergo, ut Angelus meus curam mei habeat, sollicite custodiat hic commorantem et hinc abeuntem, neque permittat famulum tuum inquinari, repraesentetque animam meam in lucem sanctam, quam Deus olim Abrahae promisit, et semini ejus.

O Sancta Maria, dignissima Virgo, anima mea te desiderat, ad te anhelat, tuam custodiam optat nunc et in hora mortis meae, ut te sine fine laudet, et sine fine amet.

O Sancta Maria, Virgo praedicanda, tua pietas misereatur mei, et benedicat mihi, illuminet vultum suum super me, cum angustiae mihi undique fuerint, ne aspectu formidabili me terreat inimicus meus.

O Sancta Maria, potentissima Virgo, ora, quaeso, Deum meum, ut à me tollat, quidquid in me ipsi displicet: adjuva me certantem contra omnes hostiles nequitas in agone finis mei.

O Sancta Maria, benignissima Virgo, meum solamen et refugium in omnibus necessitatibus meis, in hora mortis meae sis virtus et fortitudo mea à facie inimici.

O Sancta Maria, Virgo fidelis, quae nullum respicis, sed omnes aspicias oculis clementiae tuae, in manus tuas commendo spiritum meum, quem redemit Filius tuus, qui est benedictus in saecula.

O Sancta Maria, speculum justitiae, ora, ut Filius tuus justus Judex, ultimum donum faciat remissionis ante diem rationis: inter oves locum praestet, et ab hoedis me sequestret; confutatis maledictis vocet me cum benedictis.

O Sancta Maria, sedes Sapientiae, quae semper in ore habuisti sermonem recte sonantem, intercede pro me, ut, cum animae meae migrandum erit ex hoc mundo, Deus ponat inimicos meos scabellum pedum tuorum.

O Sancta Maria, causa nostrae laetitiae, laetifica animam meam in hora mortis meae, et dic: hodie mecum eris in paradiso, hodie in domum Domini ibimus, laetabimur in ea, gaudium nostrum nemo tollet à nobis.

O Sancta Maria, Vas spirituale, effice me tua intercessione vas electionis, ut cor meum jugiter portet nomen Jesu Filii tui, ne fiam in hora mortis meae vas contumeliae, vas irae et indignationis. Amen.

Die Mercurii.

O Sancta Maria, gratia plena, Dominus tecum, qui fuit prius tecum sanctificatione, quam corpore. Benedicta sit hora incarnationis Filii Dei, benedictus et sanctificatus dies, qui illuxit nobis, quando ambulaverunt gentes in lumine suo. Benedicti anni pueri Jesu, et benedicta momenta illa, quibus proficiebat gratia, spiritu et sapientia apud Deum et homines. Benedicta infantia ejus, qua subditus erat tibi et Joseph, obediendo homini propter hominis inobedientiam erga Deum. Ora pro me Filium tuum, ut in hora mortis meae non sit mihi severus iudex, sed amabilis infans, qui cum non sit dedignatus in praesepio inter jumenta decumbere, ne me respuat, qui ut jumentum factus sum apud illum.

O Sancta Maria, vas honorabile, utinam per gratiam tuam fiam vas in honorem et laudem Dei.

O Sancta Maria, Vas insigne devotionis, ora, ut in odorem nominis Jesu curram, et ad hujus fragrantiam mihi occurrant Angelici Spiritus, qui diligunt te.

O Sancta Mariā, Rosa mystica, quaeso te, in ultima hora mortis meae converte in rosas sentes veprium conscientiae meae: vulnerata sit tamen spinis doloris et contritionis (te pungente) anima mea, ut illuc deveniat, ubi rosa non pungit, et dilectus tuus pascitur inter lilia: quamdiu durat dies felicis aeternitatis.

O Sancta Maria, Turris Davidica, in conturbatione et pavore mortis sis mihi turris for-

titudinis à facie inimici: sis mihi murus, ut pacem reperiam, et requiescam in die tribulationis.

O Sancta Maria, Turris eburnea, rosa in conceptione candida et immaculata, sis refugium meum, absterge moerores animae meae, cum in felle amaritudinis erit spiritus meus.

O Sancta Maria, Domus aurea, elegi abjectus esse in domo tua, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, fac me sicut unum ex mercenariis tuis, ut in me abundant panes gratiae tuae, quibus in fine vitae meae merear frui illo pane Angelico, in cujus fortitudine ambulem usque ad montem Dei.

O Sancta Maria, Foederis Arca, ora pro me, ut in hora mortis meae Angelus meus cum clamore valido dicat Filio tuo: exurge in adiutorium mihi, tu et arca sanctificationis tuae, ut arceantur omnes, qui cogitant mala, duc in requiem tuam hanc animam, cujus curam me habere voluisti.

O Sancta Maria, Stella matutina, quae nunquam scivisti occasum culpae, in hora illa extrema illumina me claritate vultus tui, et defixis in me illis tuis misericordiae oculis repelle à me principem tenebrarum.

O Sancta Maria, Salus infirmorum. Miserere mei Filia David, cum anima mea male à daemone vexabitur, et famulus tuus jacebit in lecto, et male à doloribus torquebitur, fac, ô clementissima Mater, ut Filius tuus mihi dicat: Salus tua ego sum. Amen.

Die Jovis.

Ⓞ Sancta Maria, terra benedicta, ex qua ortum est frumentum Electorum, et vinum germinans Virgines: vera mensa propositionis illius panis, qui de coelo descendit, habens in se omne delectamentum suavitatis. Effice tua intercessione, ut salutari hoc reficiar cibo, cum defecerit virtus mea, ut in illius fortitudine ambulem, ubi Beati non amplius esuriunt, nec cadit super illos miseriae aestus.

Ⓞ Sancta Maria, Refugium peccatorum, ad te confugio, ne obliviscaris mei, cum positus fuero in extremo conflictu, tunc super corpus meum et meam animam tuae potentiae ostende virtutem, ut ope misericordiae tuae adjutus, deletis omnibus iniquitatibus meis, non delear de libro viventium.

Ⓞ Sancta Maria, Consolatrix afflictorum, consolantem me quaesivi in hora mortis meae et non inveni, qui me conciliet Filio tuo, nisi te, piissima Mater, nam Filius tuus nihil negans te honorat. Cum igitur anima mea coeperit pavere et taedere, et moesta esse, quoniam circumdant eam dolores mortis, ad consolationem meam ostende mihi fructum ventris tui.

Ⓞ Sancta Maria, Auxilium Christianorum, in hora mortis meae impetra mihi, ut verus Christianus in fide Catholica Apostolica Romana moriar, ut miles Christi fortiter pugnem contra adversarios meos, et tunc exurge in adjutorium mihi, quia venit tempus et hora mea, ut transeam de hoc mundo.

Ⓞ Sancta Maria, Angelorum Regina, in

hora mortis meae succurrant mihi Angeli Dei, suscipientes animam meam, praesentantes eam in conspectu Altissimi. Praecedat me signifer sanctus Michael, et ad tribunal justis Judicis expectet me misericordia tua, quae me defendat, placabilemque reddat dulcissimum Jesum meum, ut non peream in tremendo judicio.

O Sancta Maria, Patriarcharum Regina, fructus benedictus Joachim et Annae, benedictus fructus ventris tui dulcis Jesus. Ora pro me, ut promissum Abrahae regnum mihi adveniat in hora mortis meae.

O Sancta Maria, Apostolorum Regina, sicut dilectus Filius tuus te commendavit discipulo dilecto dicens: Fili, ecce Mater tua, sic commenda in hora mortis meae animam meam Filio tuo dicens: Ecce Fili anima tua, quam tuo pretioso sanguine redemisti.

O Sancta Maria, Regina Martyrum, excita in me perenne desiderium fundendi sanguinem meum propter amorem et fidem Filii tui, ut in hora mortis meae patientia Martyrum munitus, si consistant contra me castra, non pertimescam: tunc, rogo, doce manus meas ad praelium et digitos meos ad bellum.

O Sancta Maria, Regina Confessorum, impetra mihi donum perseverantiae, ne mittens manum ad aratrum retrospiciam, et non sim aptus regno Dei. Ergo in hora mortis meae impetra mihi, ut ad promissa Filii tui incessanter currens, merear accipere bravium gloriae.

O Sancta Maria, Regina Virginum, qualem nec primam similem vidit natura, nec ha-

buit sequentem, ora Deum meum, ut lachrymae meae sint mihi panes die ac nocte, ne Filius tuus mihi januam coeli claudens dicat, nescio te, sed potius, intra in gaudium Domini tui. Amen.

Die Veneris.

○ Sancta Maria, plus quàm Martyr, per illum dolorem, quem sustinuisti, quando gladius crucis pertransivit animam tuam, cum pro me peccatore vidisti innocentem Filium tuum morientem, qui prius te Joanni, animam vero suam in manus Patris commendavit. Quaeso, commendo me in manus Filii tui, ut me abscondat inter vulnera sua, sicque anima mea illius sanguine dealbata, et inter vulnera ipsius tuta audiat: hodie mecum eris in Paradiso.

○ Sancta Maria, Regina Sanctorum omnium, intercede pro me, ut in plenitudine perfectionis status mei, in quo positus sum, vivam et moriar, ora, ut in hora mortis meae in plenitudine Sanctorum sit detentio mea.

○ Sancta Maria, Regina gloriae, de qua gloriosa dicta sunt, et gloriae tuae non est finis, respice me inglorium peccatorem, ne sine dolore tui offensi Filii moriens amittam gloriam sempiternam.

○ Sancta Maria, sub tuum confugio praesidium, indignas deprecationes meas ne despicias, sed à periculis cunctis ne cuncteris me liberare in hora mortis meae.

○ Sancta Maria, Mater salutis nostrae, cum anima mea et cor meum in hora mortis

clamaverint, salva nos, perimus; surgat Filius tuus crucifixus, et imperet mari afflictionum, ventis tentationum, ut fiat tranquillitas magna, qua deducar in portum felicitatis aeternae.

O Sancta Maria, gratia plena et superfluens, serio sit tibi commendata causa salutis meae, miseramque animam meam de corpore exeuntem sic Filio tuo exhibe, ut placeat in conspectu Principis gloriae.

O Sancta Maria, misericordiae Mater, Regina clementiae, descendat in animam meam tua virginea miseratio, ut dulcescant amaritudines cordis mei, cum timuero in die mortis, sciens, quia iniquitates meae supergressae sunt caput meum.

O Sancta Maria, mea apud Deum maxima patrona, illos tuos misericordes oculos ad me converte, et cor tuum misericordiae plenum in fine dierum meorum ne longe facias à me.

O Sancta Maria, ad te clamo, ad te suspiro, te desidero, te totis medullis cordium concupisco, anima mea te desiderat in nocte mortis meae, ut te ductrice inveniat dilectum suum in meridie gloriae, cum ipso moretur, quamdiu durabit dies aeternitatis beatæ.

O Sancta Maria, tibi dicit cor meum, et loquitur in excessu dilectionis tuæ, sileat misericordiam tuam, qui te in necessitatibus invocatam non invenerit advocatam, considera, quod tibi derelicta est paupercula anima mea, ut sis illi adjutrix in illo momento, à quo pendet aeternitas, ne Filii tui, (qui me quaesivit lassus, redemit Crucem passus) tantus labor pro me sit cassus.

Die Sabbati.

① Sancta Maria, vera lux, quae separata fuisti à tenebris, vera septima dies, quae coepisti à mane originalis justitiae, et nunquam fuisti terminata vespere alicujus peccati. Ora dilectum Filium, ut, cum defecerint dies mei, recipiat me in aeterna tabernacula.

O Sancta Maria, Mater Dei, sicut ex ulnis Simeonis in templo Filium tuum praesentatum iterum recepisti, ita me tua intercessione in hora mortis meae recipiat Filius tuus, qui sacratissima sua Cruce me redemit.

O Sancta Maria, sicut mater consolatur Filium suum, ita fer mihi opem super lectum doloris mei, et licet non sim dignus, ut intret sub tectum cordis mei Filius tuus, roga tamen eum, ut descendat cum gratia, et sanet animam meam.

O Sancta Maria, dulcissima Virgo, quemadmodum in hora mortis tuae anima tua liquefacta fuit, cum ad cor tuum dilectus locutus est dicens: Veni, dilecta mea, Columba mea, intra in gaudium Filii tui; sic ora, ut Jesus Christus, Redemptor meus, in agone meo non me deserat, ita ut pro aeterna gloria fortiter dimicans, audire merear: Veni, coronaberis.

O Sancta Maria, benigna coeli Regina, sicut Filius tuus in Cruce pendens Dominam servo, Matrem discipulo commendavit, dicens: Mulier, ecce Filius tuus, et ex illa hora te Joannes accepit in suam Matrem, sic in hora mortis meae commenda me Filio tuo, ut suscipiat me in servum, et custodiat Angelus Do-

mini animam meam, iterum ad suum Creatorem revertentem.

O Sancta Maria, quemadmodum coelestis Pater, cum Filius ejus factus homo ex te nasceretur, eundem tibi commendavit, ut curam illius ageres, eodem modo commendo tibi corpus et animam meam, cum discessurus sum ex hoc mundo.

O Sancta Maria, sicut sacratissima Trinitas purissimum Spiritum tuum, e corpore exeuntem cum gaudio totius curiae coelestis excepit, ita etiam Deus meus tua intercessione suscipiat animam meam, Pater, qui eam creavit, Filius, qui eam redemit, Spiritus sanctus, qui eam per Baptismum sanctificavit. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

O Sancta Maria, dulcedo animae meae, gratiarum fons et puteus aquarum viventium, visceribus tuae pietatis commendo nunc et in hora mortis meae totum cor meum, in tuâ confido et spero misericordia, et cum cor meum me dereliquerit, defecerit virtus mea, dies mei erunt in gemitibus, fer mihi auxilium de Sancto, et de Sion tuere me, esto mihi turris fortitudinis à facie inimici.

O Sancta Maria, gloriosissima Filia Principis gloriæ, quae in coelo amicta lumine, sicut vestimento totum coelum illustras, aeterno Patri me praesenta, Filio tuo me reconcilia, Spiritum sanctum pro me exora, ne permittas me, ô pia Mater, separari à te, ab hoste maligno defende me, et in hora mortis suscipe me.

O Sancta Maria, gloriosissima Virgo, amantissima Christi Mater, corpus et animam meam, vitam et spiritum, cor et membra, ac omnes sensus et vires meas, cum adhaeserit faucibus meis lingua mea, et in pulverem mortis deducendus ero, commendo Filio tuo, ut suscipiat ultimum meum suspirium, quo cum corde et animo contrito dicturus sum: Jesus, Maria, Joseph.

LITANIE IN HONOREM B. M. V.

Kyrie, eleison.

Christe, eleison.

Kyrie, eleison.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Pater de caelis, Deus, miserere nobis.

Fili, Redemptor mundi, Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte, Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix, ora.

Sancta Virgo Virginum, ora.

Mater Christi, ora.

Mater divinae gratiae (*auctoris gratiae*), ora.

Mater purissima, ora.

Mater castissima, ora.

Mater inviolata (*semper Virgo*), ora.

Mater intemerata (*sine macula*), ora.

Mater amabilis, ora.

Mater admirabilis (*miraculo omnipotentiae mater Redemptoris nostri*), ora.

Mater Creatoris, ora.

Mater Salvatoris, ora.

Virgo prudentissima, ora.

Virgo veneranda, ora.

Virgo praedicanda (*omni laude dignissima*), ora.

Virgo potens (*intercessione tua apud Deum plurimum valens*), ora.

Virgo clemens (*plena bonitate*), ora.

Virgo fidelis (*fideliter cooperans gratiae Dei, fideliterque intercedens pro veris cultoribus tuis*), ora.

Speculum justitiae (*norma virtutis*), ora.

Sedes sapientiae (*templum divinae Sapientiae*), ora.

Causa nostrae laetitiae (*mater illius, qui solus vera laetitia nostra est*), ora.

Vas spirituale (*habitaculum Spiritus sancti*), ora.

Vas honorabile (*electum*), ora.

Vas insigne devotionis (*exemplar pietatis*), ora.

Rosa mystica (*Virgo suavissimum virtutis spargens odorem*), ora.

Turris Davidica (*gloria posterorum Davidis*), ora.

Turris eburnea (*exemplar puritatis*), ora.

Domus aurea (*Regis regum mundissimum tabernaculum*), ora.

Foederis arca (*Virgo, in qua reposita erat spes mundi, legifer novi testamenti*), ora.

Janua caeli (*per quam venit ad nos Jesus, devicta morte portam caeli reserans*), ora.

Stella matutina (*quae, stellae matutinae instar, praeivisti Solem justitiae, Christum*), ora.

Salus infirmorum (*qua intercedente plurimi corpore animaque infirmi salutem recuperant*), ora.

Refugium peccatorum (*cujus intercessione peccatores veniam delictorum suorum a Deo obtinent*), ora.

Consolatrix afflictorum, ora.

Auxilium Christianorum, ora.

Regina Angelorum, ora.

Regina Patriarcharum, ora.

Regina Prophetarum, ora.

Regina Apostolorum, ora.

Regina Martyrum, ora.

Regina Confessorum, ora.

Regina Virginum, ora.

Regina Sanctorum omnium, ora.

Regina, sine labe originalis peccati concepta, ora.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

Oratio. Sub tuum praesidium confugimus sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, et benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra; tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

V. Vultum tuum deprecabuntur. *R.* Omnes divites plebis.

Oremus. Concede misericors Deus fragilitati nostrae praesidium: ut, qui sanctae Dei genitricis memoriam facimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Salve Regina.

Salve Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra salve. Ad te clamamus exules, filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

V. Ora pro nobis sancta Dei genitrix. *R.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio. Omnipotens, sempiternae Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti: da, ut, cujus commemoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Mysteria ad recitationem Rosarii.

Inter pietatis exercitia praecipue commendandus est usus Rosarii B. M. V., quod qui-

dem integrum constat quindecim orationibus Dominicis, et centum quinquaginta salutationibus angelicis. Alias divisim recitari solet, distributum in gaudiosum, dolorosum et gloriosum: quorum unicuique quinque tribuuntur mysteria. Ad singulas decades cuilibet salutationi angelicæ post nomen Jesu adjiciatur in Gaudioso. 1. Quem Virgo concepisti. 2. Quem visitando Elisabeth portasti. 3. Quem Virgo genuisti. 4. Quem in templo praesentasti. 5. Quem in templo invenisti.

In Doloroso. 1. Qui pro nobis sanguinem sudavit. 2. Qui pro nobis flagellatus est. 3. Qui pro nobis spinis coronatus est. 4. Qui pro nobis crucem bajulavit. 5. Qui pro nobis crucifixus est.

In Glorioso. 1. Qui surrexit a mortuis. 2. Qui in caelos ascendit. 3. Qui Spiritum sanctum misit. 4. Qui te in caelos assumpsit. 5. Qui te in caelis coronavit.

Sterilis autem et omnis spiritualis gustus expers orandi modus est, sine ulla mentis reflexione ad praedicta mysteria, seu nulla interposita meditatione et affectuum excitatione, Pater et Ave identidem recolere. Quis fructus, aut quis gustus talis orationis? Si vis gratum Deo ejusque matri, et tibi ipsi utilem rosarii usum, sub initium cujusque decadis mysterium in ea recolendum paulisper expende, et congruentes pios affectus elicere stude. Hoc autem ut facilius et utilius fiat, proderit plurimum de mysteriis rosarii alias per otium meditationem instituisse, adeoque exactius ponderasse singula, atque affectus in iis latentes notasse. Haec tum facile, cum res exegerit, occurrent memoriae.



LITANIÆ OMNIUM SANCTORUM.

Kyrie, eleison.

Christe, eleison.

Kyrie, eleison.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Pater de caelis, Deus,

Fili, Redemptor mundi, Deus,

Spiritus sancte, Deus,

Sancta Trinitas, unus Deus,

Sancta Maria,

Sancta Dei Genitrix,

Sancta Virgo Virginum,

Sancte Michael,

Sancte Gabriel,

Sancte Raphael,

Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis.

Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate pro nobis.

Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.

Sancte Joseph, ora pro nobis.

Omnes sancti Patriarchae et Prophetæ, orate pro nobis.

Sancte Petre,

Sancte Paule,

Sancte Andrea,

Sancte Jacobe,

Sancte Joannes,

Sancte Thoma,

Sancte Jacobe,

miserere
nobis.

ora
pro
nobis.

ora
pro
nobis.

Sancte Philippe,
 Sancte Bartholomaeae,
 Sancte Matthaee,
 Sancte Simon,
 Sancte Thadaee,
 Sancte Mathia,
 Sancte Barnaba,
 Sancte Luca,
 Sancte Marce,

ora pro nobis.

Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate pro nobis.

Omnes sancti Discipuli Domini, orate pro nobis.

Omnes sancti Innocentes, orate pro nobis.

Sancte Stephane,

Sancte Laurenti, } ora pro nobis.

Sancte Vincenti,

Sancti Fabiane et Sebastiane,

Sancti Joannes et Paule,

Sancti Cosma et Damiane,

Sancti Gervasi et Protasi,

orate pro nobis.

Omnes sancti Martyres, orate pro nobis.

Sancte Silvester,

Sancte Gregori,

Sancte Ambrosi,

Sancte Augustine,

Sancte Hieronyme,

Sancte Martine,

Sancte Nicolae,

ora pro nobis.

Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate pro nobis.

Omnes sancti Doctores, orate pro nobis.

Sancte Antoni, ora pro nobis.

Sancte Benedicte, ora pro nobis.

Sancte Bernarde,
 Sancte Francisce,
 Sancte Dominice,
 Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, orate pro nobis.

} ora pro nobis.

Omnes sancti Monachi et Eremitae, orate pro nobis.

Sancta Maria Magdalena,
 Sancta Agatha,
 Sancta Lucia,
 Sancta Agnes,
 Sancta Caecilia,
 Sancta Catharina,
 Sancta Anastasia,

} ora pro nobis.

Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro nobis.

Omnes Sancti, et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.

Propitius esto, parce nobis Domine.

Propitius esto, exaudi nos Domine.

Ab omni malo,

Ab omni peccato,

Ab ira tua,

A subitanea et improvisa morte,

Ab insidiis diaboli,

Ab ira, et odio et omni mala voluntate,

A spiritu fornicationis,

A fulgure et tempestate,

A morte perpetua,

Per mysterium sanctae incarnationis tuae,

Per adventum tuum,

Per nativitatem tuam,

Per baptismum et sanctum jejunium tuum,

Per crucem et passionem tuam,

} libera nos Domine.

Per mortem et sepulturam tuam,
 Per sanctam resurrectionem tuam,
 Per admirabilem ascensionem tuam,
 Per adventum Spiritus sancti, Paracliti,
 In die iudicii,
 Peccatores, te rogamus, audi nos.

libera nos
 Domine.

Ut nobis parceas,
 Ut nobis indulgeas,
 Ut ad veram poenitentiam nos perducere
 digneris,
 Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et con-
 servare digneris,
 Ut domnum apostolicum et omnes eccle-
 siasticos ordines in sancta religione con-
 servare digneris,
 Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare
 digneris,
 Ut Regibus et Principibus christianis pacem
 et veram concordiam donare digneris,
 Ut cuncto populo christiano pacem et uni-
 tatem largiri digneris,
 Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio con-
 fortare et conservare digneris,
 Ut mentes nostras ad caelestia desideria
 erigas,
 Ut omnibus benefactoribus nostris sempi-
 terna bona retribuas,
 Ut animas nostras, fratrum, propinquorum
 et benefactorum nostrorum ab aeterna
 damnatione eripias,
 Ut fructus terrae dare et conservare dig-
 neris,
 Ut omnibus fidelibus defunctis requiem ae-
 ternam donare digneris,

te rogamus, audi nos.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce
nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi
nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, mise-
rere nobis.

Christe, audi nos. Christe, exaudi nos. Kyrie
eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem. R.
Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

Deus in adiutorium meum (*ad me ser-
vandum*) intende: Domine ad adjuvandum me
festina. Confundantur et revereantur, qui quae-
runt animam meam (*pudore afficiantur, qui
mihi insidias struunt*). Avertantur retror-
sum, et erubescant, qui volunt mihi mala
(*turpiter retrocedant, qui malo meo de-
lectantur*). Avertantur statim erubescences,
qui dicunt mihi: Euge, euge (*terga dare
cogantur ob spem frustratam, qui accla-
mant mihi, ah! ah! contemnentes ac
ludibrio me habentes*). Exultent, et laeten-
tur in te omnes, qui quaerunt (*expetunt*) te,
et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui
diligunt salutare tuum (*per te salvi esse cu-
piunt*). Ego vero egenus et pauper sum: Deus
adjuva (*propere ad*) me. Adjutor meus, et
liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

V. Salvos fac servos tuos. *R.* Deus meus sperantes in te.

V. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis: *R.* A facie inimici.

V. Nihil proficiat inimicus in nobis. *R.* Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

V. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis. *R.* Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

V. Oremus pro Pontifice nostro N. *R.* Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

V. Oremus pro benefactoribus nostris. *R.* Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum, vitam aeternam. Amen.

V. Oremus pro fidelibus defunctis. *R.* Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace. *R.* Amen.

V. Pro fratribus nostris absentibus. *R.* Salvos fac servos tuos, Deus meus sperantes in te.

V. Mitte eis Domine auxilium de Sancto. *R.* Et de Sion tuere eos.

V. Domine, exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut nos, et omnes famulos tuos, quos

delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens, sempiternus Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N.: et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae; ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.


Omnipotens, sempiternus Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus, ut, pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum.

V. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

V. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus. *R.* Amen.

V. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. *R.* Amen.

(Hic addere poteris alias preces, praecipue de SS. Altaris Sacramento.)



VARIÆ ORATIONES.

DIE NATALI. DE FINE HOMINIS.

Finis tuus in cognoscendo, amando et colendo Deo, in studio virtutis, in summa, quam capere potes, morali perfectione et beatitate aeterna repositus est. Haec in praesenti vita veluti in virtutis schola et perfectionis palaestra initium habet et progressum; in vita autem futura consummationem nanciscitur. Redde te itaque similem Deo et Christo per imitationem passionis et sanctitatis ejus. „Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est. — In omni conversatione sancti sitis, quoniam ego sanctus sum.“ Summus quidem hujus similitudinis gradus in hac vita ab homine re ipsa non conscenditur: indies tamen ei quam proxime appropinquare coneris, ut vitam, salutem, felicitatem, bravium, coronam, hereditatem, mercedem ac visionem Dei consequaris. Quaerite, ait Christus, regnum Dei et justitiam ejus, et cetera omnia adjicientur vobis; vocavit nos, ut conformes imagini sanctitatis ejus ambulemus; erudivit nos, ut sobrie et juste vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem; dedit denique semetipsum, ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum; dedit pastores et doctores, ut veritatem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia. — Haec destinatio veram felicitatem etiam temporalem promovet, sustentat ac nobilitat, ipsasque tribulationes salubres efficit. Imo hujus vitae vera felicitas citra virtutem

ne cogitari quidem, multo minus durare posset. Agnosce hunc finem, agnosce dignitatem tuam. Ad imaginem et similitudinem Dei factus, Patris caelestis filius, speciali Dei providentia protectus, a Christo, Dei Filio, redemptus, Christi frater et membrum, templum Dei vivi et Spiritus inhabitantis templum, ad aeternam denique felicitatem vocatus es. Quare dilige Deum, serva mandata ejus, memento beneficiorum ejus, eaque praedica; denique omnes animae corporisque vires ad ejus gloriam impende; et ipse erit merces tua magna nimis.

Oratio. Gratias tibi ago omnipotens Deus, quod me e nihilo eduxeris, quod vitam meam ad hanc usque horam conservaveris, quod omnes gressus meos direxeris, quod tam jucundos dies mihi concesseris, quod e tot periculis me liberaveris, quod tam bonos parentes, magistros ac amicos mihi donaveris, et quod me toties lapsum erexeris. In gratiarum actionem pro his et innumeris aliis beneficiis, vitam, sanitatem, viresque corporis ac animae ad majorem gloriam tuam impendam. Unum hoc quam instantissime rogo, ut manum tuam nec in posterum mihi subtrahas, sed gratiam concedas nunquam discedendi a semita mandatorum tuorum. Per Christum.

(Hac die renova sponsionem in baptismo factam.)

RENOVATIO SPONSIONIS IN BAPTISMATE EDITÆ.

Sacramento baptismi ex aqua et Spiritu sancto regeneratus, ablutus, sanctificatus, ju-

stificatus sum in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut possem introire in regnum Dei. Ex irae filio, Dei filius, Christi membrum et coheres, vivumque templum Spiritus sancti sum effectus. Domine Deus, ago tibi gratias pro insigni hoc beneficio. — Sed quomodo eo hactenus usus sum? Baptizandus ad templi januam exspectavi; num per fidem et baptismum januam ad regnum Dei recludi memini? — Nomine Sancti insignitus sum; num mores ejus imitor? — Halitu afflatus sum, num vita spiritali animor? — Cruce saepius signatus sum; num sub Crucifixi lege milito? — Exorcismis adhibitis a peccati et diaboli jugo liberari me significatum est; num huic jugo me non denuo submitto? — Sal ori meo impositum est; an a vitiorum putredine liberum me servo, et christianae sapientiae gustu me imbuo? — Saliva oris naribus auribusque meis admota est; num audiendi evangelii et gustandi odoris boni exempli cupiditate incensus sum? — Fidem Christianam professus sum; num eam verbis, maxime vero factis, ostendo? — Satanae renuntiavi; an non facio opera ejus, mentiendo, calumniando aut invidendo? Ante baptismum sacro oleo in pectore et intra scapulas, post baptismum vero chrismate in vertice capitis unctus, demum baptizatus candido amictu indutus sum, cereusque accensus mihi porrectus est: num tanquam pugil et Christo initiatus firmiter pugnavi? num candidam innocentiae baptismalis vestem sine macula servavi? num ceu lucis filius aliis bono exemplo praeluxi? — Ah, Domine! parce mihi peccatori. Cognosco,

quid fecerim, vehementerque doleo, quod vota in baptismo emissa toties non observaverim. Sed abrenuntio hodie denuo Satanae, operibus et pompis ejus. Credo in te Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae. Credo in Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, natum et passum. Credo et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam aeternam. — Consepultus cum Christo per baptismum in mortem, quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et ego mediante gratia Dei in novitate vitae ambulabo. Amen.

PRO OBTINENDA CASTITATE.

Domine Jesu Christe, castarum mentium custos et pudicitiae amator, qui, ut munditiam tibi quam maxime placere ostenderes, ex purissimae Virginis Matris utero carnem assumere dignatus es: respice propitius fragilitatem meam, et da mihi carnis concupiscentiam continentiae freno cohibere, omnia libidinis incentiva vincere, et carnem ipsam tuo timore configere, ut hoc domestico hoste devicto, tibi casto corpore serviam, et mundo corde placeam.

AD SALUTAREM VITAE STATUM ELIGENDUM.

Omnipotens, aeterne Deus: qui cuncta gubernas, disponis et moderaris: mitte sapien-

tiam de sede sancta tua, ut intelligam voluntatem tuam. Ad quemcunque vitae statum indifferentem me tibi sisto. Illum promte amplectar, ad quem tu me vocaveris. — Quid me vis facere? Visne, ut de cognatione mea, et de domo patris mei exeam, et abdicatis omnibus, paupertatis, castitatis et obedientiae votis obstrictus tibi serviam? Visne, ut in clericali statu vivam? visne ut caelibem vitam agam, vel honestum conjugium subeam? Loquere Domine, quia audit et desiderat obedire servus tuus. Doce me facere voluntatem tuam; ad laeta et tristia, ad suavia et aspera paratum me tibi trado; nil nisi honorem tuum tuamque voluntatem exsequi intendens. Duc me, non quo ego volo, sed quo tu vis. Fac me semper et ubique vivere in fide, quae per dilectionem operatur, ut salvus fiam. Ad hoc tua mihi benedicat omnipotentia; instruat me tua sapientia; inflammet me tua caritas. — Sancta Maria, sancte Angele custos, sancti Patroni mei, et omnes caelites, in gravissimo hoc negotio precibus vestris me adjuvate, ut illuminatus a Deo, quae ei magis fuerint accepta, agnoscam, eligam, perficiam, et in aeternum a voluntate ejus non deflectam. Amen.

Pro parentibus.

Omnipotens et misericors Deus, gratias tibi ago pro innumeris beneficiis, quae parentibus meis benigne contulisti. Conserva et multiplica super illos misericordiam tuam; protege

eos brachio virtutis tuae; libera eos ab omni malo; concede illis perfectam mentis et corporis sanitatem et vitam longaevam. Robora illos ad vincendas hostium insidias; benedic illis et hereditati eorum, nec sine illos in aeternum perire, quos Filius tuus pretioso sanguine suo redemit. Per eundem.

Pro magistris.

Deus, qui opera, patientia, caritate et vigilantia magistrorum meorum innumera in me confers beneficia: concede propitius; ut doctrinam eorum laeto animo excipiam; ut monitionibus et correctionibus eorum ad salutem meam utar; atque indefessa diligentia, maxima observantia, quotidianis pro eis precibus, totaque vitae meae ratione gratum erga eos animum monstrem. Benedic laboribus eorum, et retribue eis propter nomen tuum vitam aeternam. Per Dominum.


Pro consanguineis.

Da, quaeso, Domine, consanguineis meis salutem et pacem. Conserva eos in fide et caritate; custodi eos ab omni corporis animaeque incommodo, et largire eis gratiam tuam, ut propitium te semper Patrem et Deum experiantur. Per Dominum.

Pro felici morte.

Pater aeternae, per vitam et mortem Filii tui, ac per bonitatem tuam te rogo: concede

mihî, ut in bono perseverem, et in gratia tua moriar. — Bone Jesu, qui in cruce Patri spiritum tuum commendasti: te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitæ meæ. Propter amaram mortem tuam da mihi gratiam, ut percepto corpore et sanguine tuo, oleique sacri inunctione, pleno sensu, fide recta, spe firma, caritate perfecta, recepta, moriar morte justorum. — Spiritus sancte Deus, miserere mei et adjuva me potissimum in hora mortis meæ, ut laetus ex hac vita transeam, gratiam in conspectu tuo inveniam, et gloriam consequar æternam. Sancta Trinitas, unus Deus, miserere mei nunc et in fine vitæ meæ.



INITIO ANNI SCHOLASTICI.

Sap. 7.

Optavi et datus est mihi sensus (*intellectus*), et invocavi (*petii a Deo*), et venit in me spiritus sapientiæ (*voti damnatus sum*): et praeposui illam regnis et sedibus (*pluris eam duxi, quam regnum meum et immensa imperia*), et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tanquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem et speciem dilexi illam (*me sapientem malo, quam bona valetudine pollentem, aut forma corporis prae-*

stantem), et proposui, pro luce (*duce ac consiliatrice*) habere illam, quoniam (*non ut lumen diei exstinguitur, sed aeternum et*) inexstinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa et innumerabilis honestas per manus illius (*divitiae ac honores illam subsequuntur*), et laetatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam, quoniam horum omnium mater est (*ne cogitabam quidem, me cum illa omnia haec bona simul accepturum*). Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo (*quaesivi eam sine utilitatis spe atque simulatione, eamque omnibus, qui illam a me discere cupiunt, haud aegre communico*). Infinitus enim thesaurus est hominibus; quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati (*vero sapienti honores et laudes accedunt, tum quum inter vivos versatur, tum cum vivis excessit*).

Deus, a quo omnis sapientia venit, dirige vias meas et studia mea in gloriam tuam. Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut suscipiam eruditionem doctrinae. Da, ut sciam te, ut non glorier in sapientia mea, sed in hoc glorier, scire et nosse te; scire enim te consummata sapientia est. Da, ut non judicem, me aliquid scire inter homines, quam Jesum Christum, et hunc crucifixum, et existimem omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei; qui tecum vivit et

regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Hymnus.

Veni sancte Spiritus, et emitte caelitus lucis tuae radium.

Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium!

In labore requies, in aestu temperies, in fletu solatiam!

O lux beatissima! reple cordis intima tuorum fidelium.

Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium.

Lava, quod est sordidum, riga, quod est aridum, sana, quod est saucium.

Flecte, quod est rigidum, fove, quod est frigidum, rege, quod est devium.

Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

Ante examen subeundum.

Adest dies examinis subeundi; praebetur mihi occasio dandi specimina progressus, quem tum in literarum, tum in religionis studio feci. Da Domine, ut sine ulla timiditate respondeam, dum interrogor. Quod mihi nunc spem facit, examen hoc e votis successurum, est, quod

studiis hujusque assiduam navaverim operam. Raro enim admodum permittis Domine, ut rite praeparatus, votorum suorum compos non fiat. Hoc ne mihi eveniat, te enixe oro. Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Ante omnia vero proba tu me, Deus, et scito cor meum; interroga me, et cognosce semitas meas; et vide, si via iniquitatis in me est, et deduc me in via aeterna; per Christum Dominum nostrum. Amen.

Si examen e votis successit.

Gratias tibi ago Domine, quod examen meum, ut optaveram, successerit. Quam multi condiscipulorum meorum tam felici successu non gaudent! Tibi autem soli honor et gloria! Absit, ut me extollam super alios! Quid enim habeo, quod non accepi? Si autem omnia a te accepi, quid glorier, quasi non accepissem? Da, ut excitatus relato calculo, novis viribus non studiis tantum, sed et pietati dem operam. Quid enim prodesset scientia, quae inflat, sine caritate, quae aedificat? Da, ut conscientia mea bonum mihi de operibus sanctis reddat testimonium; ut in fine vitae meae, cum examinaveris cogitationes, verba ac opera mea, te judicem propitiatum inveniam, atque ob rectum talentorum a te mihi creditorum usum ex ore tuo audire merear: Euge serve bone et fidelis! quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui; per Christum Dominum nostrum. Amen.

Si examen votis non respondit.

Quam laetos ac hilares video plures discipulorum meorum, qui bonum de examine retulere calculum! Quam vero tristitiam tum mihi, tum parentibus ac benefactoribus meis affert nota, quam ego retuli! An vero hoc non accidit mea culpa? an non Dei opem saepius implorare, an non majori diligentia in studia incumbere, atque plurimas, quas perdidit, horas impendere melius et poteram et debebam? Si ita est, quid miror, quod examen, quod subivi, votis meis non responderit? Quid murmurare contra examinatores juvat? Nil superest, nisi ut a Deo veniam petam, quod talentum meum reposuerim in sudario; ut damno saltem sapiam, ac nihil non faciam, quo me tot beneficiis parentum, magistrorum ac amicorum meorum dignum in posterum ostendam, eisque gaudium afferam. Hoc serio propono: concede mihi benignissime Deus gratiam tuam, sine qua nihil possum, illud executioni dandi. — Si autem conscientia mea nil horum mihi objicit; si feci, quod potui, cur sim inquietus? Prospera et adversa a Deo veniunt, qui humiliat et exaltat pro sapientia sua. Fecit, quod bonum sibi visum est. Diligentibus eum omnia cooperantur in bonum. Sit nomen ejus benedictum! Absit, ut animum abjiciam. Tristes, quos ago dies, laetiores excipient. In nomine tuo Domine, et probo labore continuabo studia mea. Concede mihi, non viribus meis, sed auxilio tuo freta, gratiam, ut crescam in aetate ac in sapientia

vera; ut feliciter consummem cursum meum, et accipiam coronam gloriae, quam promisisti servis facientibus voluntatem tuam; per Christum Dominum nostrum. Amen.

IN FINE ANNI SCHOLASTICI.

Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Te aeternum Patrem omnis terra veneratur. Tibi omnes Angeli, tibi caeli et universae potestates; tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt caeli et terra majestatis gloriae tuae. Te gloriosus Apostolorum chorus, te Prophetarum laudabilis numerus, te Martyrum candidatus laudat exercitus. Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia, Patrem immensae majestatis, venerandum tuum verum et unicum Filium, sanctum quoque Paraclitum Spiritum. Tu Rex gloriae Christe. Tu Patris sempiternus es Filius. Tu, ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum. Tu, devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna caelorum. Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris. Judex crederis esse venturus. Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. Aeterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari. Salvum fac populum tuum Domine, et benedic hereditati tuae. Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum. Per singulos dies benedicimus te. Et laudamus nomen tuum in saeculum, et in saeculum sae-

culi. Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire. Miserere nostri Domine, miserere nostri. Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te. In te Domine speravi, non confundar in aeternum.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. ℞. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Oremus. Deus, ejus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas; per Christum Dominum nostrum. Amen.



MEDITATIONES.

De meditatione.

Attenta piaque veritatum salutarium meditatio non solum veram, distinctam vivamque earum veritatum cognitionem, sed imprimis sanctas affectiones, sensationes ac pia proposita excitat, juvat atque sustentat. Impende igitur huic adminiculo virtutis quotidie, saltem breve tempus. — Objecta autem, in quibus ruminandis, animo imprimendis, et ad actiones tuas applicandis meditatio tua versetur, sint: Deus, Christus, homo, tu ipse, mundus physicus et moralis, Evangelium et Scriptura, dogmata, regulae morales, officia hominum communia et particularia, ac novissima hominis. Horum objectorum ruminatio peccatoribus ad poenitentiam, justis ad perseverantiam, perfectioribus ad altiores virtutis gradum est summe utilis et necessaria. Si ea, quae ad negotia tua pertinent, animo volvis, cur in iis, quae ad salutem animae spectant, id facere nequeas? Utique non exiguntur subtiles disquisitiones, aut concatenatae ratiocinationes; sed sufficit, si praemissa Spiritus sancti invocatione, animus veritate distinctius perspecta ad peccati odium, et ad officii Dei que amorem inflammetur. — Sive autem meditationem per modum investigationis, vel lectionis attentae, sive examinis aut colloquii facias, perpende et statue: quid agendum? quid fugiendum? quid egi hucusque? quid agam deinceps? tum his actibus pios affectus ac bona proposita junge. Quodcunque autem

propositum concipias, illud non sit vagum, sed firmissimum, quoad objecta, modum, tempus, occasiones prorsus determinatum, fortiterque, petita ad id Dei ope, explendum, atque, an rite executioni datum fuerit, ratio per examen rigidum, saltem vesperi, a te ipso exigenda est. Si illud non violasti, gratias age Deo; sin, negligentiam corrige. Vide autem, ne certo meditandi modo ordinique mechanicè insistas; sed modum tibi accommodatiorem libere serva. — Jam sequuntur lectiones de virtutibus, officiis, veritatibus quibusdam, quibus praedicto modo uti poteris persaepe, saltem diebus dominicis et ferialibus, praecipue tempore exercitiorum spiritualium.

Cognitio Dei.

Sanctissimus, perfectissimus ac benignissimus est Deus. Summae itaque aestimationis, venerationis, glorificationis, amoris atque gratitudinis officia erga eum exsequere. Cave autem a caeca illa ac mere sensibili in Deum, modo sensibili repraesentatum, affectione vehementiori; cave a studio, Dei favorem per actus alios, quam bonos, tibi demerendi; cave ab immodico, variis, praesertim externae religionis, exercitiis citra veram, internam solidamque pietatem, incumbendi studio; cave ab illo conatu pietatem ubique verbis, gestibus actibusque ostentandi; cave a conatu, simulata pietate aliorum admirationem, laudem et favorem tibi conciliandi; cave denique a servili et mercenaria pietate. — Adhibe omnem conatum, veram, certam, distinctam, vivam, efficacem et practicam Dei cognitionem acquirendi. Haec

est enim vita aeterna, ut cognoscamus Deum et Jesum Christum. In hac cognitione de die in diem crescere stude. Ut vero Dei perfectiones, fines, consilia, voluntatem, beneficia, opera et subsidia spiritualis salutis, quae homini suppeditat, tanto facilius cognoscas: rememora vitam tuam; stude historiae cum respectu ad Deum; pete lumen divinum; conserva cor tuum mundum, lege sacram Scripturam, fidemque revelationi praebe.

F i d e s.

Assentire firmiter omnibus, quae Deus revelavit, et quae Ecclesia credenda proponit, propter revelantis omniscientiam ac veracitatem. — Sit autem fides tua in distincta motivorum credendi cognitione fundata, et nequaquam vacillans, quae circumferatur omni vento doctrinae; exporrigat se ad omnia revelationis capita; influat in omnia animi tui sensa actusque; animeturque atque operetur per dilectionem. „Sicut enim corpus sine anima mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.“ — Fides est necessaria salutis conditio, est radix et fundamentum justificationis. Christus fidem graviter urget, et ipsa tua imbecillitas te monet, ne pretiosum hoc donum Dei respuas, aut ejus auctoritatem parvi pendas. Grato potius animo agnoscas, quae de Deo remuneratore, de Trinitate, de Christo Redemptore, de gratiae divinae ad salutem necessitate, de animae immortalitate, de articulis Symboli Apostolici, de

oratione dominica, de praeceptis Decalogi et de Sacramentis credenda tibi proponuntur. — Subsidia fidei tuae sint: invictus veritatis et cognitionis salutaris amor; conatus mores tuos ad fidei normam accommodandi; consideratio frequens motivorum credendi; lectio pia, et auditio attentata verbi Dei; oratio rectaque intentio in salutaribus veritatibus ruminandis; fuga liberorum hominum societatum, affectuum, vitiorum, quae fidem pervertere aut enervare possunt. — Cave autem ab incuria circa veritates revelatas, et ab ignorantia in rebus ad Deum et religionem pertinentibus. — Effectus, Deo et constitutis ab eo naturae legibus tribuendos, ignotorum aut spiritualium entium viribus nunquam tribue; nec ullo unquam tempore adhaere opinioni, quae est dogmati, in verbo Dei scripto traditove contento, et ab Ecclesia definito, opposita. — At vero ob tentationes et dubia de fide menti obversantia, quae nec delectaris, nec deliberate inhaeres, non est, cur anxie conturberis. Ceterum nullum dictorum, factorumve tuorum in Dei contemptum vergat; sed tum de ipso, tum de omnibus ad religionem pertinentibus, decenter et reverenter loquaris; et quae ab aliis, etiam contra tuam sententiam, sancta et religiosa habentur, nunquam despicatui habere, deridere aut facete explodere audeas. Quamquam enim veram Dei cognitionem et moralem religiositatem in aliis promovere studeas, zelus tamen tuus cum sincera erga omnes caritate et mansuetudine, cum singulari erga infirmos, rudes et errantes

lenitate, cum praecipua quadam cautione conjunctus, prudentiae regulis, loco, tempori, personae accommodatus, atque a contendendi, rixandi, haereseosque notam inurendi pruritu alienus sit oportet. Hac ratione Jesus Christus, lux mundi, praejudicia religiosa dispulit, et puriorem de Deo et religione notitiam suppeditavit. — Mira fides fuit in Magis, qui ab Oriente in Bethlehem venerunt, et inveniētes puerum cum Maria, matre ejus paupere, eum adoraverunt, atque mysticas ei munerum species obtulerunt. — Merito Christus commendabat fidem centurionis, dicendo: Non inveni tantam fidem in Israel. — Et non sine ratione dicebat Thomae: Beati, qui non viderunt, et crediderunt.

Spes et Fiducia.

Spera aeternam beatitudinem et subsidia ad eam obtinendam necessaria, per promissa et merita Christi tibi obventura, si Deum amas, eique obedis. Omnem fiduciam in Deo pone a juventute tua. In prosperis et adversis, in vitae indigentis, in negotiis tuis, in periculis animae et corporis, solitudinem tuam in eum projice; ipsi enim cura est de te. Desperatio econtra, praesumptio, nimia, temeraria aut superstitiosa fiducia procul sint a te! Omnes conatus vota-que tua ab hac spe animentur. Nec in te ipso, nec in aliis plus justo confidas. — Haec spes et fiducia ad Dei gratiam, ad amorem erga Deum, ad poenitendum de peccatis, ad oran-

dum, ad animi quietem et ad patientiam in adversis, ad moderatam terrenorum aestimationem, atque ad grande caelestium desiderium tibi quam maxime necessaria est. Ad eam obtinendam perpende Dei bonitatem, omnipotentiam ac fidelitatem; considera promissiones et merita Christi, atque exempla eorum, qui fidentes in Christo amplissimas gratias recepere. Fuge melancoliam, acediam et solitudinem nimiam, quae ad nihil prodest, imo Deo displicet; ferventi denique oratione fiduciam in Deum exerce.

Amor erga Deum.

Dilige Dominum Deum ex toto corde, ex tota anima, et ex omnibus viribus tuis. Quid enim eo perfectius, quid sanctius excogitari potest? Quis creatorem, conservatorem, providentissimum gubernatorem; quis optimum patrem summumque benefactorem; quis sapientissimum legislatorem, justissimum judicem et remuneratorem non diligat? quis summam erga Deum gratitudinem, ac de eo complacentiam animo non foveat? quis non conetur his animi sensibus omnes actus conformare, Deo per omnia obedire, paternaque ejus benevolentia se dignum reddere? Sit autem amor tuus sincerus, sit dominans. Deum omnibus praeferas, nil ei aequipares, omnia ad ipsum referas, omnes creaturas propter ipsum seu potius ipsum in iisdem ames. Sit amor tuus filialis; tenero nimirum affectu et certa cum fiducia, gratoque

animo Deum, ceu amantissimum patrem, intuere. Dilige eum efficaciter; da tibi omnem operam voluntatem ejus in omnibus explendi. — „Haec est enim caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus. — Qui servat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta est. Si diligitis me, mandata mea servate.“ — Stude impigre, fortiter, constanter et promte eidem obedire. Nulla illicia, nulla pericula, nulli casus amorem tuum erga eum flectant, statuque tuo te dimoveant. Jam in veteri Testamento septem fratres cum matre sua propter legem Dei gravissima tormenta passi atque mortui sunt. — Nil antiquius habe, quam ad majorem usque perfectionem eluctari, atque intime cum Deo in vita futura conjungi. Hunc amorem in Deum Christus et Apostoli ceu primum et maximum mandatum declarant. Ad illum nos provocat amor, quo Deus prior dilexit nos. Talem quippe monstravit caritatem, ut filii ejus nominemur et simus. Provocat nos ad redamandum eum amor ille, quem tulit erga nos, vocando nos in societatem Filii sui, atque dignos faciendo nos, qui veniremus in partem sortis Sanctorum. — Amor te assimilat unitque Deo. Sine Dei amore quid cetera prosunt? Hic amor nobilissima gaudia tua jam in hac vita constituit; adversa minuit, aut certe tolerabilia utiliaque efficit, ac in aeternum te beabit. Quare te vehementer rogo, ut memineris Creatoris tui in diebus juventutis tuae, antequam veniant dies afflictionis et senectutis; ut mediis Deum usque melius noscendi tum domi, tum in collegio, tum in ecclesia utaris; ut ejus frequentissime recorde

ris; ut cum laetitia de eo loquaris; ut in prosperis ac in adversis ejus potentiam, bonitatem et sapientiam investiges; ut perfectiones ejus saepius consideres atque sanctitatem, justitiam, veracitatem, bonitatemque imiteris, cum jubeamur perfecti esse, sicut Pater noster in caelis perfectus est; ut mediteris beneficia ab eo in te collata et conferenda; mala item, quae a te avertit; ut denique contempleris exemplum Christi et Sanctorum Deum fortiter amantium, atque ut actum amoris crebro attente elicias.

Amor erga Jesum Christum.

Jesus Christus via ad vitam aeternam, Filius Dei dilectus, in quo sibi pater complacuit, verus Deus, frater, benefactor et amicus tuus est, quo nullus amantior, nullus amore tuo dignior, et in amore fideque erga te constantior reperiri potest. Ipse est, qui oblati sibi parvulis manuum impositione et oratione benedixit; qui illos complexus est, et eorum innocentiam, simplicitatem ac humilitatem imitari jussit; qui summa benignitate mundavit leprosum; qui statim post vocationem Matthaei in domo ejus discubuit; qui tot millia hominum in deserto pavit; qui peccatrici multum remisit, quia dilexit multum; qui Petro mergenti dexteram porrexit; qui recepit caecum a synagoga rejectum; qui discipulos de sui recessu contristatos promissione Spiritus sancti consolatus est; qui venientibus ad se capiendum dixit: Si me quaeritis, sinite hos (*discipulos*) abire;

qui Petrum ter negantem benigne respexit; qui latroni in cruce paradisum promisit; qui pro nobis passus et mortuus est; qui resurrexit amore nostri; qui Thomae palpandum se prae-buit; qui in caelos ascendit. Quantam igitur aestimationem erga eum ejusque immensa beneficia, merita ac sanctissima praecepta; quantam reverentiam erga eundem, veluti Dominum ac judicem tuum, quantam gratitudinem, quam constans desiderium prae te feras ei placendi, arctiusque te cum ipso conjungendi, quam crebro ejus vitam, actiones, passionem, mortem ac doctrinam mediteris, ut ejus cognitionem vivam, perfectam et efficacem acquiras! Unum autem certissimumque tui erga Jesum, ceu legislatorem, Magistrum et exemplar, amoris argumentum est obedientia, quam legibus ejus praestas, et imitatio ejus. Quam praeclara sane sunt, quae nobis reliquit, virtutum exempla! Quanta caritas! Descendit in terram, ut Patri suo pro nobis satisfaceret, et peccata nostra in cruce toleraret! — Quae obedientia! Factus est obediens usque ad mortem. — Quanta humanitas! Ad sepulcrum Lazari lacrymatus est. — Quanta amabilitas! Talis erat, ut omnes cuperent eum videre. — Quae cordis rectitudo! Non quaesivit gloriam suam, sed ejus, a quo missus erat. — Quae patientia in adversis! Sicut agnus coram tondente se, obmutuit, et non aperuit os suum! Quanta denique submissionis, mansuetudinis, abnegationis aliarumque virtutum in eo eluxere exempla! Disce ea tum lectione, tum meditatione Evangelii, ac imitare. Haec imitatio salutis tuae

necessaria est conditio. „Nam qui dicit, se manere in illo, debet sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus.“ Hac imitatione perge, donec formetur Christus in te. Ita dignum eo discipulum te probabis, et non ipsi tantum, sed et patri ipsius placebis. — Devota vero quam cautissime, quidquid Jesu Christi personae et doctrinae detrahare quidquam posses. Ejus religionem non modo non erubescas, aut verbis factisque negas, sed potius cum Pater caelestis eum audire jusserit, ipsum ubique confitere; praecepta ejus verbis, exemplis, et factis tuere; imo pro amore ejus non solum omnium commodorum honorisque, verum et vitae jacturam secundum Apostolorum, totque martyrum exempla perferre paratus sis. Nec persecutio, nec quaelibet potestas, nec quaecunque passio te separet a caritate Christi. Sic cogitabat S. Paulus, qui et haec memoratu digna scribit verba: „Si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema.“

D e v o t i o.

Quamquam omnis sexus, omnis conditio ac omnis aetas sui devotionem Deo debeat, praecipue tamen adolescentes eam debent; non solum devovenda est vita tua Deo, sed quamprimum etiam, et in ipsis initiis devovenda. Sic a pueritia pietatis studiosissimi fuerunt S. Thomas Aquinas, S. Gregorius Magnus, S. Benedictus et sexcenti alii. Ita et tu promptus ad

omnia officia, amore erga Deum, fervide ac perfecte implenda esto; offerre impende constanter omnes mentis et corporis facultates, resque omnes in potestate tua positas, ad usus divinae voluntati beneplacitos; redde te in dies meliorem ac Deo gratiorem; erisque vere devotus. Falsa vero esset devotio tua, si in piis solum cogitationibus consisteret; si mechanico modo certis formulis et ceremoniis externis inhaereret; si in sola speculatione dulcive Dei contemplatione, aut in sensibili affectu, exercitia religionis saepe comitante, totus conquiesceres. Vera devotio mentem confortat, virtutem provehit, adversa mitigat, animum ubique ac semper obviis gaudiis explet. Necesse est autem, ut illam pia Dei praesentis recordatione et frequenti ad Christum, veluti virtutis omnis exemplar, respectu animes. — Unum superest, quod te hic moneam. Absit nimirum a te quam longissime fucata illa Pharisaeorum devotio, qui ejus summam ponebant in exterioribus ceremoniis, indulgentes erga se, severi econtra erga alios; excolantes culicem, camelum autem devorantes; decimantes mentham, quae vero graviora erant legis, relinquentes; opera pietatis lucri cupiditate et ambitione maculantes, opera denique sua facientes, ut viderentur ab hominibus.

O r a t i o.

Dum oras, mentem animumque tuum ad Deum dirige, majestatem ejus, et super omnia dominationem atque excellentiam, summa animi

demissione reverere. Jam age ei gratias pro beneficiis ab eo acceptis; jam peccatorum tuorum veniam humiliter precare; jamque pete ab eo bona, quae tibi dari, et mala, quae a te averti cupis. — Intercede quandoque et pro aliis. Sic Petrus et Joannes orabant pro Samaritanis, ut acciperent Spiritum sanctum. Dum Petrus servaretur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Paulus Apostolus, quoties ait, orare se pro fidelibus! Et Jacobus scribit: Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justis. — Deo equidem vota ac desideria tua, omniumque hominum occulta non sunt, nec ad ea explenda aeternum decretum suum mutabit, nec precum importunitate ad bonitatem exserendam flectetur, nec utile ipsi obsequium exhibebis; attamen pro eo, quod facere proposuit, vult per nos rogari. „Rogate Dominum messis, ait Christus, ut mittat operarios in messem suam.“ — Et talis oratio utilitate non carebit. Enim vero per eam, tuam erga Deum submissionem summamque reverentiam, gratitudinem, fiduciam, infirmitatem et indignitatem recognosces; atque illi placendi propositum, caritatemque erga alios exercebis ac firmabis. Quare Christi Domini, docentis nos petere, ut accipiamus, et ascendentis in montem, ut oraret, praeceptum aequae ac exemplum sequens ora. — Adores autem Deum in spiritu et veritate. Oratio tua non sit opus labiorum, sed ex mente cordeque profecta. — Verum et verbis signisque externis, quibus per se haud est opus, orando utere; prodit enim se per ea

internus affectus et augetur. Christus ipse, et Sancti orationem etiam vocalem exemplis suis commendarunt, servitque ea ad alios exemplo movendos. — Id solum caveas velim, ne meram verborum, quamvis piorum, pronunciationem pro oratione habeas, et ne oratio tua vocalis in multiloquium degeneret. „Puer meus jacet domi paralyticus.“ En totum, quod centurio dicebat Christo! — Oratio ex corde profecta, formulis omnibus e libellis precatoriis anteponenda est, quamvis illae ad pias cogitationes excitandas et sanctos affectus fovendos servire queant. — Distractio mentis voluntaria inter orandum non tantum orationis fructum impedit, sed nec peccato caret; involuntaria autem ad culpam tibi non imputatur. — Ad evagationes mentis vitandas, non iis solum, quas memoria tenes, formulis, sed et aliis utere, et e libellis precatoriis preces non tam recites, quam illos solum tanquam adjumenta ad preces ex animo fundendas abhibeas.

Postula Deo digna, precumque spiritum atque scopum nunquam negligas. — Sit oratio tua humilis; oratio humiliantis se nubes penetrat. Sic orans Publicanus, justificatus e templo descendit in domum suam. — Sit porro oratio tua reverentia plena. Ita Christus nunc elevatis in caelum oculis, nunc in terram prostratus oravit. — Ores cum fiducia filiali, ac in nomine Jesu, non dubitans, te respectu meritorum ejus obtenturum a Patre omnia, quae hac ratione petieris. — Urge, et persevera orando. Ad instantiam orationis Dominus nos excitat exemplo amici ad amicum media nocte

euntis; et exemplo viduae, quae ab iniquo iudice cum importunitate multa sese vindicari petebat. — Ora cum omnimoda tui ad Dei voluntatem submissione, ut ille leprosus orabat: Si vis, potes me mundare; et ut orabat Christus: Pater, si vis, transfer calicem hunc a me; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. — Sit demum oratio tua continua quasi, ac sine intermissione, saltem per animi praeparationem et promptitudinem continuata, ac quantum fieri potest, frequenter in actum deducta; oportet enim (memorato modo) semper orare et nunquam deficere. — Ante orationem praepara animam tuam, non tantum immunitate a vitiiis affectibusque animi inordinatis, sed et mentis animique ab objectis alienis abstractione, et ad Deum conversione. — Quod tempus orationis attinet, ora tempore tentationis, publicae necessitatis, et gravioris negotii suscipiendi. Sic Christus ingruente passionis suae tempore ter oravit ad Patrem; et apostoli volentes unum e discipulis eligere apostolum, orarunt. Ora et post acceptum singulare beneficium; mane post somnum, ante et post mensam, vespere; ad angelicae salutationis signum, praecipue vero diebus dominicis et festis. — Locum a tumultibus, quantum licet, remotiorem, praee ceteris, imprimis ecclesiam, veluti domum orationis, elige. — Gestus situsque corporis reverentia et humilitate plenus ad fovendos pios animi affectus et ad alios ad devotionem inflammandos, aptus sit, maximeque ab ecclesia praescriptus aut piorum usu recep-

tus servetur; nisi gravis causa ab eo recedendum esse svadeat.

Religio externa.

Declara religionem internam per vera aptaque signa, tum ad propriam, tum ad alienam religionem, virtutemque fovendam et promovendam. Actus interni foras prorumpentes, per id majorem efficaciam nancisci solent. Constans religionis externae omissio certum vel deficientis, vel neglectae, imo contemptae etiam religionis internae, judicium habetur. Christus et Apostoli nobis non solum praeceperunt, ut aliis bono exemplo praeluceamus, ut nos mutuo commoneamus, et ad Dei glorificationem provocemus; sed etiam religionem externam frequentarunt, atque cum vitae periculo exercuerunt, aliosque ad imitationem provocaverunt. — Errares autem, si tantum exterioribus quibusdam exercitationibus inhaereres, iisque contentus, internam religionem parum curares, nec illarum frequentatione melior redderis. Multo vero turpius decipereris, si pene neglectis, quae Christus et Ecclesia constituit praescripsitque, religionis externae exercitiis, vana inaniaque, ad scopum parum aut nil apta, majori diligentia ac veluti superstitione usurpares. Manifesta actibus externis, verbis et factis, te religionis christianae dogmata praeceptaque vera ac sancta habere, ea aestimare et iis convenienter vivere velle. Qui confitebitur Christum coram hominibus, confitebitur eum et Christus coram Patre suo. Quare publica religionis exercitia

nunquam negligas, aut contemptui habeas; alienae religionis exercitia non frequentes, si hoc pro religionis propriae negatione haberi posset: sed potius cum vitae etiam periculo fidem profiteri paratus sis, si Deo debitus amor, aut proximi salus id exposcit.

P e c c a t u m.

Cave ab omni praevaricatione legis divinae, et caelestium inobedientia mandatorum. Nec mente, nec ore, nec opere, nec omissione pecca. — Vita etiam illa peccata, quae aliena vocantur. Haec committuntur: jussione, consilio, consensu, approbatione, irritatione, laudatione, exemplo, taciturnitate, participatione et prava defensione. Ita David mortis Uriae causa fuit, licet ipsemet manus non admoverit. Caiphas consilio suo senatum judaicum permovit, ut necem Christi decerneret. Pilatus Christi mortem non impedivit, cum ratione officii et auctoritate sua eam impedire potuisset et debuisset. Judaei rei sunt mortis Christi, quia eam postularunt. Cum lapidaretur Stephanus, Saulus adolescens fuit consentiens neci ejus, et deposita ad pedes suos vestimenta testium adversus Stephanum custodiebat. — Talibus peccatis nunquam communices, frequenter vero ores Deum, ut ob peccata aliena tibi parcat.

Si graviter quocunque modo peccares, Dei imaginem foedares. Si autem coram hominibus comparere formidas, facie minima etiam macula deformi, num coram Deo, anima pec-

catorum sordibus affecta, comparere audeas? — Peccato gravi rationem misere errando subverteres; bonam voluntatem, a bonitatis norma recedendo, perverteres; sanctam spiritus libertatem perderes; gratiam et amicitiam Dei contemnens, tibi ipsi damnum inferres; felicitatis aeternae capacitatem pessumdares, ac aeternae damnationis reum te efficeres. „*Qui enim faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animae suae. — Anima, quae peccaverit, ipsa morietur. — Odio sunt Deo impius et impietas ejus.*“ — Peccatores porro in sacris Literis infantibus, stultis, insipientibus jumentis, brutisque animalibus comparantur, mancipiaque carnis et servi dicuntur. — Quam infelices reddidit peccatum primos parentes nostros! Quam turpiter Salomonem sapientissimum infatuavit, ac famam ejus maculavit! — Multa insuper peccata amorem justitiamque erga alios laedunt. — Cujuscunque vero generis peccata gravia sint, si ea committis, Dei voluntati et sanctissimis ejus legibus renuis, innumeris beneficiis ejus ingratum animum rependis; donis ipsius abuteris; invitantis patris praemia, minitantisque judicis poenas quasi contemnis; relictis fontibus sectaris rivulos, teque miserum reddis. „*Multa, ait sacra Scriptura, flagella peccatoris.*“ Peccando namque tranquillitatem animi turbas, ac ingentes in corde tumultus excitas, quod velut vermis corrodit. Tantum denique malum est peccatum, quod mortale vocare solent, ut pro eo mori deberet Filius Dei! Quantum odium tanti mali concipias! Fuge illud itaque tanquam colubrum et pestem;

et de commissis dole. Dic saepius: Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris Domine.

Sed et in MINIMIS vigilantiam fidelitatemque ratio et Christus praecipit. Non enim cito vel optimus vel pessimus efficitur; a minoribus ad majora fit progressus. Modicus ignis contemptus silvas incendit. Levis infirmitas neglecta non raro mortem attulit. Quid interest, an fluctibus ingentibus, an paulatim intrante aqua mergatur navis? Neglectus minimorum facit, ut paulatim progrediamur, ac demum ad ima delabamur. Numquid, aedificia subito corruunt? Gutta cavat lapidem, non vi, sed saepe cadendo. „Qui spernit modica, paulatim decidet. — Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno caelorum. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est: et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est.“ Nec jota unum, nec apex praetereat a lege. De quolibet verbo otioso reddemus Deo rationem. Quare si times Deum, nec illa peccata, quae venialia vocant, deliberate committas. „Qui enim timet Deum, nil negligit.“

Nosce te ipsum.

Multi homines se ipsos non noscunt. Festucam in oculo fratris vident; trabem autem in oculo suo non vident, nec ex eo ejiciunt. Pharisaeus, qui Deo egit gratias, quod non sit sicut ceteri homines, velut etiam ille pu-

blicanus, nec se novit, nec publicanum. — Episcopus Laodiceae, qui se divitem et nullius egere putavit, cum tamen miser et miserabilis, pauper et nudus esset, se ipsum certe non novit. Ne hoc et tibi accidat, stude noscere te ipsum. Cognitio tui ipsius ad justam tui aestimationem, ad veram humilitatem, ad rectum facultatum viriumque tuarum usum, ad felicitatem propriam promovendam, ad hujus vitae gaudia moderate usurpanda, ac ad adversa fortiter toleranda prudenterque praecavenda, tibi admodum necessaria est. Quid enim te cautiorem faciet, et a temeritate certius praemuniet, quam propriae infirmitatis conscientia? Quid ad progressum in bono magis necessarium, quam noscere, quousque profeceris, quo deinceps progrediendum, quid perficiendum restet? Quomodo, tui ignarus, gratitudinis, reverentiae submissionisque erga Deum; atque caritatis, patientiae, lenitatis, misericordiae officia erga alios explebis? Stude itaque naturam, dignitatem statumque tuum, actus habitusque bonos aut malos, imperfectiones, propensionemque tuam, imprimis dominantem, cognoscere. — Sit autem haec cognitio tua, tum ad rationis, tum ad revelationis normam exacta, distincta, omnes animi latebras perverstigans, uno veritatis amore animata, ne tibi aduleris, nec meritum detrahas; influat denique in omnes actiones tuas agendique modum. — Hunc in finem rumina vitam tuam, invigila cogitationibus, desideriis, motibus animi, agendi finibus atque mediis; examina saepius intimos animi tui recessus; mortem, judiciumque, ac

omniscientiam Dei in memoriam frequenter revoca; reputa aliena de te judicia, sive amicorum sive inimicorum, illorum monita horumque vituperationes; compara te cum hominibus probis; crebro denique a bonis malisve aliorum factis, imprimis a quibusve regulis moralibus, ad te ipsum respice. — Veram autem tui cognitionem non unius horae, sed totius vitae negotium summi momenti habeto, quod tractans in conspectu Dei, corda renesque scrutantis, finem tuum, legem Dei et Christi, vitae tuae actiones, omissiones, in boni malive agendi occasionibus, in societate, domi forisque te gerendi rationem ob oculos tibi ponas. Cave autem, ne de te dici queat: „Similis est viro consideranti vultum nativitatis suae; consideravit enim se, et abiit; et statim oblitus est, qualis fuerit.“

Vera sui ipsius aestimatio.

Recognosce sincere et aequae tum dignitatem et perfectionem tuam, ceu immeritum Dei beneficium, tum indignitatem et imperfectionem tuam; atque huic cognitioni convenienter agere constanter conare. Agnoscas lubenter quorumvis etiam infimorum hominum merita, dona et praerogativas, aestimes ac reverearis eos; sis pronior ad aliorum perfectiones, quam imperfectiones considerandas scrutandasque. Has excuses potius, patienterque tolere, quam severe arguas; ab ambitionis, arrogantiae, vanae gloriae vitio specieve tam longe, quam a

vecordi tui ipsius abjectione, neglectu despectuve sis alienus. — Haec vera tui aestimatio, haec animi modestia atque humilitas gratum erga Deum animum provocat; peccati, quo dignitatem tuam maculas, odium procreat; ad virtutis, cujus quosdam in te gradus cognoscis, studium te accendit; animositatem ad suscipienda perficiendaque alacrius negotia tibi inspirat ac sustinet; contra inanem terrenae celsitudinis ac respectus humani timorem te praemunit; solatium, dum iniquis aliorum iudiciis, contemptu aut persecutione premeris, parit; virtutis demum christianae fundamentum est praecipuum. „Humilibus Deus dat gratiam. — Sine Deo nil possumus facere. — Nec cogitare aliquid boni a nobismetipsis possumus, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.“ Sanctus Petrus, cum sanasset claudum, plausum sibi a populo datum repressit dicendo, non sua, sed Christi virtute et potestate claudum ambulare. — Sanctus Paulus omnem gloriam copiosi sui laboris Deo adscripsit. „Abundantius, ait, omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia ejus (Dei) mecum. Gratia Dei sum, quod sum.“ — Sanctus Joannes Baptista populo existimanti, ipsum esse Christum, respondit: „Non sum ego Christus.“ — Quam humilis Jesus Christus fuerit, quam parum suam gloriam quaesierit, quoties miracula a se patrata evulgare prohibuerit, notum tibi est. — Quaerentibus discipulis, quis esset major in regno caelorum, respondit: „Quicumque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic major est in regno caelorum.“ Exemplum quoque humilis urbanita-

tis induxit dicens: „Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.“ — Quid de Pharisaeo et de Publicano dixerit, tibi constat. — Et ipse a matre paupere nasci, ac in praesepe reclinari voluit; triginta annis lactuit; cum eum regem facere vellent, fugit; crucis denique mortem ignominiosissimam subiit. Quanta humilitas! — Quam humiliter agnoverit Maria, quod Deus respexerit ancillam suam, pariter nosti. — Haec itaque exempla imitare; malitiam e contra, stultitiamque superbiae tibi frequenter repraesenta; de existimationis humanae pretio, de ejus incertitudine, mutabilitate, brevitate ac vanitate justum fer judicium; considera Dei perfectiones, tuasque imperfectiones; atque cum melioribus te compara. Ita vitabis mala, quae ex fastu, gloriatione, ostentatione, errorum occultatione, hypocrisi, ceterisque vitiis huic virtuti oppositis, consequuntur. — Superbus quippe Deum tanquam supremum Dominum et omnium bonorum fontem revereri omittit; abominatio autem Domini est omnis arrogans. Peccat vero hic et contra alios, quorum dignitatem et merita deprimit ac denigrat. Hac de causa superbum inferiores fugiunt, aequales insectantur, superiores humiliant. — Denique et erga se ipsum iniquus est superbus. Dependendam enim suam a Deo aliisque agnoscere nolens, et sui ignarus, nec ab aliis doceri adjuvarique sustinens, peccata sua nec agnoscit, nedum emendat et expiat.

Cura animae.

Primam curam deberi animae, et ratio et revelatio te docet. Anima enim nobilissima tui pars, Dei imago, immortalis, incorruptibilisque, perfectionis item perduraturae capax est. Negotium hoc summum, fere unicum, ac proprie tuum dici potest. „Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? — Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus. — Thesaurizate vobis thesauros in caelo. — Unum est necessarium“ (*reliquis bonis, relativum pretium habentibus, longe praeferendum*). Qui te creavit sine te, non te salvabit sine te. Unam habes animam. Hanc si perdas, damnum resarciri nequit. — Virtutem itaque omnibus aliis anteponas; huic reliqua subordinates, et ad eam ceu finem referas; viribus tuis nunquam contra officium utaris; facultates omnes, quas tibi Deus impertitus est, conserves et excolas; idque tanto magis facias, quo major facultatum istarum gradus, et opportunior eas perficiendi occasio tibi suppetit. Dure Dominus reprehendit servum pigrum, qui multiplicare neglexit talentum suum. — Cave, solliciteque remove, quidquid cognitionem tuam minus perfectam reddit; age autem, quidquid juvat, ut ea distincta, quoad fieri potest, evidens, viva, expedita, bene ordinata, et pro dignitate objecti perfectior, rationi ac revelationi consentanea, et ad moralem perfectionem accommodata evadat. Pauca vero utilia, quam inutilia multa

pernoscere praestat. Plurimarum enim rerum obscura notitia mentem animumque perturbat, et in multos errores noxios conjicit. — Neglige, quaecunque inutilia, periculosa, aut necessariis utilibusque cognoscendis impedimento sunt futura; contra scrutare sagaciterque, recto tamen ordine, pernoscce, quae ad perfectionem et felicitatem tuam prae ceteris necessaria utiliaque sunt. Nec commodis nec incommodis ullis absterreri te sinas, quo minus quamcunque salutarem veritatem, etsi fors propensionibus tuis molestam, sagaciter rimeris, certiusque pernoscas; cognitam autem constanter in praxin deducas, atque ad alios quoque prudenter propages. — Studeas etiam tibi comparare facilitatem ad plura simul, si opus est, attendendi, attentionem tuam in eodem objecto diutius figendi, eam ab aliis objectis abstrahendi, atque in alia transferendi, repraesentationes alias facile reproducendi, alias oblitterandi obscurandive, aut varie inter se conjungendi. Apes imitare, quae flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deinde, quidquid attulere, disponunt, ac per favos digerunt. — Alimenta, quae accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant, et solida innatant stomacho, oneri sunt: at cum ex eo, quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires et sanguinem transeunt. Idem in illis, quibus alis ingenium, praesta; quae hausisti, concoque atque tua fac. — Lege sedulo bonos libros, attamen semper cum optima intentione, profunda meditatione, et practica ad te ipsum reflexione. — Audi verbum Dei; frequenta publicam et privatam instructionem;

consulta viros eruditos piosque, et cum iis saepius colloquere. — Ceterum unicuique auctoritati sine examine assensum praestare, eorum, quae captum tuum excedunt, naturam explorare, aut propterea auctoritati, praesertim divinae, assensum negare, quam diligentissime cave. „Scrutator *enim* majestatis opprimetur ab ea.“ — Fac demum haec omnia recto ordine, modo et fine. Illustratio tua eo tendat, ut te meliorem, non autem superbum et astutum reddat. — Discendi negligentia, praecipitantia, inconstantia mentis, incuria circa veritatis agnitionem, curiositas immodica, scepticismus, temeraria scrutandi libido, iudicii pertinacia, librorum inutilium aut perniciosorum lectio, cum malis hominibus consuetudo, exempla, et prava eorum colloquia, prudentia carnis et hujus mundi tibi nocent, Deoque summopere displicent. Scientiam vero Dei, sapientiam spiritualem et prudentiam christianam, studiosissime consecrare. „Initium sapientiae, timor Domini.“ Ad veram sapientiam pervenire non possunt, qui falsae suae sapientiae fiducia desipiunt. Sapientia illa clara est, non quae in verbis volat, sed quae virtutibus constat. Ad majoris culpaee cumulum pertinet scire quemquam, quid sequi debeat, et sequi nolle, quod sciat.

Ex FACULTATIS IMAGINANDI ET PHANTASIAE licentia varii generis vitia, superstitionis ac lascivi amoris insaniae, irae, indomitae cupiditates, tristitiaeque ac impatientiae monstra nascuntur. Fallacia ejus rationem impedit, impia desideria inflammat, quietem animi turbat, attentionemque ab officiis re-

trahit. Ut igitur illius cultura et dominium in illam tibi cordi sit, satis commendare tibi non possum.

Ita etiam salutarium veritatum oblivio ruina spiritualis; e contra viva earum recordatio salutis spiritualis causa praecipua esse solet. Quare bonas repraesentationes per singularem diuturnamque attentionem, repetitamque meditationem profundius menti infigas, easdem saepius restaures, atque signis, ut ita dicam, excitatricibus alliges.

RATIONEM tuam exorna praecipue notitia earum veritatum moralium, quae ceterarum principia et moralitatis fundamentum sunt, easque firma persuasione amplecti, et maximi aestimare adlabora. Has ab omni errore immunes servare, familiares tibi reddere, semper animo obversantes habere, atque inde agendi regulas eruere conare. Quam in rem, Dei, tui ipsius et hominum, praesertim eorum, cum quibus arctius necteris, item mundi practicam cognitionem tibi comparare nitere. Haec autem notitia, ut tibi salutaris evadat, tum principia moralia ad actus casusve obvenientes applica, et quae, cur, quomodo praecepta, prohibitive sint, sedulo examina; tum eas veritates ad casus verosimiliter futuros exige, et qui legibus consentiant, dissentiantve, statue. — Nil ex impetu aut ex affectu, nil absque praevio examine appete, aversare aut age; aliorum quoque consiliis utere, actionemque interim suspende; ad tentationes, judiciis ante sapienter latis, et conceptis bonis propositis, te praepara praemunique; inter ipsa negotia semper ad

animi motus attentus esto; ad finem negotii aut diei, omnes cordis latebras, cogitata, verba, actus scrutare, causas, incitamenta, motiva inquire; ex ipsis erroribus sapere disce; ex aliorum factis examinatis iudicium emenda, deque bonis actis gratam, de malis vero ingratiorem sensationem excitare stude.

Dictis hoc unum addam, ut desideria ac affectus tuos mature observes, eorum causas, indolem, gradum, utilitatem aut nocendi vim diligenter scruteris, eosque ad virtutem fovendam impendas; periculosos vero reprimas, et ne in libidines degenerent, impedire satagas. Affectionem praesertim ceteris dominantem subjiciendi ac temperandi omnem des operam; affectus denique sensuales in alia objecta, virtuti amica, convertas. Hac ratione irritamenta vitiorum in virtutis adjumenta mutabuntur. Quo autem illos tanto facilius frangere valeas, pessimos eorum effectus, malitiam, stultitiam, risu commiserationeque dignam perpende. De reliquo non affectuum extirpatio, sed eorum moderatio et justa directio Christi lege iungitur.

Cura corporis.

Tuere, amore Dei, corporis integritatem et sanitatem, conserva membra viresque ejus ita illaesa et firma, ut omnia et singula fini ac usui, ad quem destinantur, quam maxime apta existant atque perdurent. A corporis sanitate liberior perfectiorque facultatum animae

et corporis usus et vigor, atque expletio plurimum status tui tam erga te, quam alios officiorum pendet. Sanitas est singulare Dei donum. „Exultatio (*gloria*) juvenum (*est*) fortitudo eorum. — Melior est pauper sanus et fortis viribus, quam dives imbecillis et flagellatus malitia (*mala valetudine*), et corpus validum, quam census immensus. Non est census super censum salutis corporis.“ Hujus tamen cura subordinanda est curae animae. — Absolon quidem erat pulcherrimus in Israel. A vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. Sed quam multis vitiis pulchritudinem suam foedavit! David vero erat adolescens non solum pulcher aspectu, sed simul fortissimus. — Pulchritudo corporis virtuti juncta placet. — Quae sanitati noxam inferre aut periculum creare possent, sollicite equidem cave; anxia tamen et immodica valetudinis cura, et teneritudo nimia, quae minima corporis incommoda, tempestatis varias impressiones, laboriosas exercitationes, victus asperitatem et obvias quasvis molestias trepide refugit, officiis valetudinique plurimum officere saepe solet. — Affectuum item quorumvis vehementia minuit dies. — Porro „in multis escis erit infirmitas; propter crapulam multi obierunt, et multos exterminavit vinum.“ Quare scribit sanctus Paulus Tito: „Juvenes hortare, ut sobrii sint.“ — Luxuria effrenatior pestis pariter est non animae solum, sed et corporis. — Otium denique, torpor corporis et nimia victus amictusve mollities sanitati obest.

Id igitur cibi potusque genus elige et adhibe, quod tuae sanitati, simulque facultatibus tuis maxime accommodatum nosti; cibos simplices ac obvios reliquis praepone, iisque adsuesce; cibum potumque nunquam ad plenam satietatem sume. Plenus venter non studet lubenter. Natura paucis, cupiditas vix unquam contenta est. — Noe bibens vinum inebriatus est, et nudatus jacuit in tabernaculo. — Esau pro lentis edulio vendidit primogenita sua. — Ammon, filius David, in convivio, Absolon temulentus occisus fuit. — Quam facile etiam e gulae vitio nascuntur inepta laetitia, ira, contentiones, rixae, pugnae et scurrilitas! Venter cibo meroque distentus, quam facile despumat in libidinem! quam effrenis garrulitas, in qua peccatum vix deerit, et quae mentis hebetudo, vitii hujus sunt foetus! Gulae deditus ventrem veluti idolum habet, opes decoquit, famam maculat, occulta vitia pandit, et rationis usum impedit. Gula corpus enervat, vires labefactat, sanitatem depascit, morborum genus varium generat, mortemque accelerat. Et num dives epulo non querebatur, pati se lingua specialem cruciatum?

MOTUM CORPORIS moderatum, in libero aere, inter amica colloquia, vel naturae contemplationem, postquam mentis exercitationibus acriorem dedisti operam, aliis relaxationibus potiolem habeto.

Peracto utili labore somnus est dulcissimus. Hunc salubriter non nisi nocturnis, aliquot ante et post mediam noctem, horis, ac post sobriam coenam mature capies. Nimis autem

et in multam diem eum protrahendo, animae, corpori et officiis tuis detrimentum afferres, ac dimidium quasi vitae somno sepultus non tam degeres, quam perderes. — Ab immodicis vigiliis, quas etiam utilis labor expleat, caveto, potius surgendo maturius, quam in multam noctem vigilando.

Moderato tandem, et per vices intermisso, quam improbo, et usque ad animi corporisque defectionem taediumque continuato studio, multo felicius ac prudentius et negotiis et viribus consulto.

C a s t i t a s.

Christianus, sciens, eum se esse pretio magno, sanguinis scilicet Jesu Christi, glorificat et portat eum in corpore suo, cujus membra considerat tanquam membra ejus et templum Spiritus sancti; omnemque eorum abusum, veluti quandam irreligiosam profanationem censet. Talis tu quoque sis oportet. Vites idcirco verba, gestus, aspectus, oscula et tactus omnes castitati oppositos, atque cogitationes, phantasmata ac desideria eidem contraria reprime. „Omnis immunditia nec nominetur in vobis.“

Cave a **MOLLITIE**. Haec enim animi corporisque vires conficit et exhaurit; juventutis corpora et animos, ceu occulta pestis et secretum virus, inficit ac pessumdat; in summas miserias conjicit; veluti crudelis lues millenos juvenes praematura morte mulctat; demum

haec pestis aliis persaepe non sine maximo piaculo afflari, ac plerumque difficillime emendari, imo saepe nonnisi ipsa cum vita finiri solet. „Ossa ejus implebuntur vitiis (*peccatis occultis*), et cum eo in pulvere dormient (*morientur*). Sed non hujus peccati tantum, verum etiam ceterorum castitati oppositorum, tristissimi sunt effectus. Luxuria enim excaecat mentem, totamque absorbet; exstinguit iudicium rationis, memoriam reddit labilem, animi propositum inconstantia obruit; odium legis divinae amoremque inordinatum hujus vitae, despectum virtutis et beatitatis aeternae, et desperationem salutis non raro gignit; sanitatem ad studendum adeo necessariam labefactat; famam maculat; Dei amicitiam abjicit; de rationali homine brutum efficit simile equo et mulo, quibus non est intellectus; aeternae damnationis reum facit; pacem turbat familiarum; alios ad malum exemplo trahit, ac innocentiam jugulat. Neque aliud est scelus, quod tanta mundo mala importavit.

Quam boni econtra sunt effectus castitatis! Hi tum ad sanitatem, tum ad commune familiarum et generis humani bonum, imprimis ad optatum progressum in studiis faciendum, atque ad pietatem promovendam ingens momentum habent. — Ne igitur contra illam pecces, considera vitii oppositi turpitudinem et tristes effectus; castitatis econtra nobilitatem ac utilitatem. — Time patrem optimum, sed et iudicem justissimum. „Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.“ — Humilia te; superbos tradit Deus in passiones ignominiae. — Fuge

otium et vitam voluptuariam; nutritur enim libido deliciis, vino accenditur, comessatione inflammatur. — Custodi sensus tuos, aures oculosque inprimis et tactus. „Corrumpunt enim mores bonos colloquia prava, *et*, mors ascendit per fenestras nostras“ (*per oculos nostros*). — Vita liberius consortium et familiaritatem cum sexu altero. Nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec sapientior es Salomone. „Longe fac a muliere blanda viam tuam, et ne appropinques foribus domus ejus.“ — Elonga illecebras et illicia luxuriae, libros minus castos, lascivas comoedias, turpes imagines, et choreas periculosas. — Considera serio ac frequenter novissima: mortem, iudicium, infernum et caelestem gloriam. — Perpende passionem Christi, exempla heroicae castitatis, aut victimarum luxuriae. — Principiis obsta, sero medicina paratur, cum mala per longas invalluere moras. — Recurre ad Deum humilibus ac fiducia plenis precibus. — Utere saepius, ac ferventer, Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae. — Praeter haec subsidia juvabunt te ad conservandam castitatem sobrietas, laboris amor, somni parcitas, pudoris ac modestiae exterioris cura singularis, reverentia quaedam erga tuam ac aliorum hominum dignitatem, erga tuum aliorumque corpus, Dei denique praesentis memoria, in quo vivimus, movemur et sumus. Si praesentem habes Dominum, exhortatione non indiges.

Exemplum castitatis habes Josephum Aegyptiacum, qui maluit in carcerem detrudi, quam castitatem violare. Sed providentia divi-

na, quae suaviter disponit omnia, mire exaltatus et totius Aegypti gubernator factus est. Dignum sane imitatione exemplum!

Tempore tentationis, ad quasdam praedictarum considerationum, aut ad utiles statuique tuo convenientes occupationes, te converte. Non cedendo, sed resistendo pax cordis invenitur. — Nec cum tentationibus altercandum, nec de consensu in eas multum inquirendum tibi est. Juvat subinde situm corporis mutare. Si motus persistat, noli turbari. Non nocet sensus, ubi non adest consensus. — Post tentationem objecta ejus, nec sub bono obtentu, in mentem revoca.

Temporis aestimatio et usus.

Vita praesens semita est, necessario calcanda, quae ad aeternam vel beatitatem vel infelicitatem pro usu abusive temporis te deducit. Quam brevis et irremeabilis haec semita! Tempus praeteritum irrevocabile, futurum incertum, praesens maxime fugax nosti. Salutis tuae negotio a Deo tibi conceditur. Nullo non momento aeternitati vivere licet. „Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis. — Tempus breve est. — Praeterit figura hujus mundi. — In sapientia ambulate, tempus redimentes. — Bonum facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes (*messem, quae nunquam deficiet*): ergo dum tempus habemus, operemur bonum.“ Rem igitur pretiosissimam noli parvi pendere. Labora

per diem; veniet enim nox, qua laborare non poteris. Nec particulam diei infructuosam sine; salutis negotium in tempus incertum non differ. Quot homines mors ingruens, sed saepe serius, docuit, quantum sit pretium temporis! Quare salutaria ac utilia semper operare. Nulla dies sine linea. Tot homines pro te, tuaque necessitate ac commoditate laborant: et tu otio indulgeas? Quomodo posses aliquando religioni ac patriae prodesse, si nunc otio torperes. Arguuntur otiosi; praemium vero referunt operarii. „Qui non laborat, non manducet.“ Paulus ipse scenofactoriam artem exercuit, sibi ac suis, ea quae opus erant, manibus suis ministravit; nocte ac die operabatur, ne quem gravaret praedicando Evangelium. Imo primus parens noster a Deo positus est in paradiso, ut operaretur ibi; et post lapsum in sudore vultus sui vescebatur pane suo. Deus ipse usque operatur et Christus semper bonum operatus est. An non in hunc finem Deus vires facultatesque tibi dedit, ut iis ad tuum aliorumque bonum rite utereris? — Labor moderatus insuper taedio praecavet; vires roborat perficitque; pluribus vitiis viam obstruit; estimationi consulit; tibi, parentibus et magistris gaudium affert; virtutem fovet, servat, auget, coronamque justitiae meretur. Quam dulce est vesperi testimonium conscientiae: Hac die in sapientia ac in virtute profecisti! Quam amarum e contra tibi foret dicere: Amici, diem perdi! — Quam turpe est otium! quam turpis, quae inde nascitur, ignorantia! „Multam *praeterea* malitiam docuit otiositas;“ et non sine

fundamento dicit proverbium: Otium pulvinar diaboli. „Qui sectatur otium, stultissimus est. — Vade ad formicam piger!“ Homo otiosus non potest non exosus esse Deo, ejusque indignationem movere; abutitur enim ipsius donis; praeceptisque ejus, promissis ac donis cor frigidum, durum et quasi sensus expers objicit. Acediae deditus comparatur arbori non ferenti fructus; servi porro pigri et nequam, talentis sibi creditis non utentis, nomine significatur, atque de eo dicitur: Vult et non vult piger. Fuge itaque otium, et ama laborem.

Ut autem labor tuus rectum modum teneat, amore Dei et eidem placendi desiderio, occupationem non nisi utilem talemque suscipe, quae viribus tuis consentiat, eamque bene ordina. Nam quod recto ordine non fit, nequit omni ex parte perfectum esse. Ordo in scientiis, artibus et quibusvis negotiis ad qualemcunque perfectionem necessarius est. Ordo rectus taedio, inconstantiae, tepiditati et confusione medetur. Nec sine merito eum observabis, cum perpetuam tui abnegationem comprehendat. — Deus amat ordinem; ordo regnat in hoc universo. Ordo est anima rerum. „Omnia tempus habent. — Omnia ordine fiant.“ — Fervide insuper, accurate, constanter et absque nausea, perage perficeque laborem tuum. Labor improbus omnia vincit. Dii laboribus omnia vendunt. Non uno cadit arbor ab ictu: multis ictibus dejicitur quercus. — Quodvis denique negotium cum summa in Dei ope fiducia, cum oratione ac plena tui in voluntatem divina,

quod exitum attinet, resignatione inchoa et fini. A Jove principium, dicebant veteres.

Ignaviae omne genus, otium etiam laboriosum, negligentiam, tarditatem, cunctationem, fastidium, instabilitatem, languorem, oscitantiam, desidiam, inertiam et commoditatis studium vita. — Cave etiam ab aggressu rerum plurimarum absque delectu, scopo fructuve; non age inutilia, neglectis utilibus, nec omissis propriis, alienis te immisce. — Longe sint denique a negotiis tuis confusio, perturbatio, immoderatio, et perversitas sine fine agendi. Haec vitia vires tuas, tempus pretiosum et meritum tuum perderent; bonum tuum aliorumque impedirent; officiorum executionem corrumpere, vitiis demum aliis occasionem praeberent. — Haec ergo animo saepe volve; meditare novissima hominis; recordare praesentis ac te adjuvantis Dei; aeternam retributionem ac exemplum hominum magna operantium considera; atque contende, ut, quidquid agis, hilariter, nec tumultuarie obiterque agas, contentiusve agendo ac lassitudine, animi corporisque vires frangas.

Officia studentium.

Cum singulari, diligentiorique institutione et cultura perfruaris, ac ad praecipua in sacra profanave republica munia deinceps obeunda destinatus sis: Deo, tibi, parentibus, magistris, Ecclesiae patriaeque debes, ut praecipua morum probitate, flagranti literarum, inprimis ad

futuram vitae conditionem necessariarum, studio, decente erga magistros observantia, docilitate, reverentia, obedientia in rebus ad studia ac disciplinam scholasticam pertinentibus, et constanti legum scholasticarum expletione ad publica munia rite obeunda te praepares. Qualis es, talis eris. „Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.“ Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu. — De S. Joanne Baptista legitur: „Puer crescebat (*corpore et aetate*), et confortabatur spiritu“ (*sapientia et virtute proficiebat, Spiritu sancto animum ejus roborante*). Utinam et de te dici posset, crescere te cum in scientia, tum in pietate! Lege igitur, stude, vaca scientiae, satage oratione et virtutum exercitationibus proficere, donec vir factus evacues penitus, quae parvuli sunt. „Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. Quasi qui arat et seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius. In opere enim ipsius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius (*quod primum didicisti, nunquam penitus amittes. Mentem animumque tuum excole, quin te labor ullus deterreat, certus, te aliquando laborum tuorum fructus refertissimos consecuturum*). Quae in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute invenies?“ — Ora ante et post studia, ut te Deus doceat a juventute tua. Fors talem orationem in ecclesia, collegio vel habitationi tuae proxima, peragere potes.

Cave, ne abripiaris vitiis, quae in academiis quandoque grassantur. — Observa mandata Dei et praecepta Ecclesiae quam exactissime. — Cave, ne periculosas nectas societates; ne tempus studiis destinatum varii generis recreationibus perdas; ne pecunias ad salubres usus concessas in malos usus absumas, ne negligentia aut moribus tuis, parentibus summam animi moestitiam crees, coheredibus damnum inferas, condiscipulis scandalum praebeas, scholaeque publicae famam macules. — Cave, ne morum probitate neglecta, uni scientiae inhies, aut alia, quam discenda, discas, aut de his vix cursim raptimque aliquid arripias. — Cave, ne plurimarum notitiarum indigestam confusamque farraginem sine ordine, methodo distinctaque cognitione comportes, vel omnia simul nihilque perfecte scire cupias. — Cave, ne librorum, castitati, moribus, fidei pericula minitantium, lectioni vaces. — Cave, ne publicas praelectiones arroganter spernas, perturbesve, vel traditas doctrinas imprudenter sugilles aut fastidias. — Cave, ne beneficium publicae institutionis parum aestimans, magistris tuis, sine quorum instructione miser esses, reverentiae gratique animi officia deneques, eosque contemtu aut irrisioni habeas, cum ipsi tanta erga te patientia opus habeant. — Cave denique, ne in verba magistri jurans caecam fidem iis praestes, meliora discere asperneris, et sensim per te ipsum cogitare, judicare, disquirere non coneris.

Imo et famulos ac ancillas domus, in qua degis, ea ratione tractes, qua ab iis tra-

ctari velles, si ipsorum loco servire te oporteret. — Terque quaterque beatum, si haec feceris! quam jucundam ages vitam! quo amore, qua benevolentia te complectentur homines! quantum Deus sibi complacebit de probitate tua! — Cereus nunc adhuc es in virtutem flecti, nunc parentes ac magistri curam tui adhuc gerunt; non distraheris adhuc negotiis, et curis victus ac sustentationis. Utere tot tantisque beneficiis, et ambula immaculatus in via Domini.

De eligendo vitae statu.

Matth. 19.

Unus (*praecipuae potentiae, sincero corde, et cum reverentia*) accedens, ait illi (*Jesu*): Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? (*Quid interrogas, bonum appellans?*) Unus est (*natura sua*) bonus, Deus (*fons bonorum omnium*). Si autem vis ad vitam (*aeternam*) ingredi, serva mandata (*Dei*). Dixit illi: Quae? Jesus autem dixit: Non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falsum testimonium dices; honora patrem tuum et matrem tuam, et diliges proximum tuum, sicut teipsum. Dixit illi adolescens: Omnia haec custodivi a juventute mea (*ab oriente aetate, a primo rationis usu*). Quid adhuc mihi deest? (*Si quid mihi defuerit, illud suscipere et exsequi paratus sum*). Ait illi Jesus: Si vis

perfectus esse (*si perfectiorem viam ingredi velis, sublimiusque vitae genus profiteri et amplecti*), vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo (*gloriam ampliorem, quam si sola mandata observes*), et veni, sequere me (*discipulus meus esto, mihi individuus adhaere, vitam meam omnibus conspicuam virtutibus imitare*). Cum audiisset autem adolescens verbum (*tam arduum perfectionis iter sibi a Christo praeter expectationem proponi*), abiit tristis; erat enim habens multas possessiones (*amore immodico temporalium bonorum, eorum abdicationi imparem se sensit*). — Cum a statu, quem aggressurus es, felicitas tua temporalis ac aeterna pendeat, interest plurimum, ut illum multa cum cautione ac prudentia eligas. Hunc in finem Deum adi cum fiducia, ut patrem et magistrum optimum; lumen ferventi ac humili oratione postula, quo in tanti momenti negotio dirigaris. Nihil aliud quaeras, quam unum illud necessarium, ut Deo acceptus sis, et salutem tuam opereris. Deum, ut omnis boni fontem, plenitudinem, exemplar finemque intuere. Non tibi blandiaris de pueritiae innocentia, non praesumas de viribus tuis: sed timeas tibi, caveasque a laqueis, tentationibus, erroribus, amore et terrore mundi. Nondum te, quod praecipui momenti est, fecisse intelligas, nondum christianae vitae officia implevisse; status et conditionis electionem, in spiritu Dei fac. Postula ab eo,

qui dat omnibus affluenter, sapientiam et gratiam ad id necessariam, et dabitur tibi. In fide, nihil haesitans, postula, et Deum interroga: Quid adhuc mihi deest? Ipse respondebit tibi, et loquetur ad cor tuum. Sed ut verba Dei et inspirationes obedienter audias, fuge mundi amorem ac terrenas voluptates. — Adhibe item parentum, aliorumque prudentum ac piorum hominum, praesertim directoris conscientiae tuae, cui totum statum tuum moralem a juventute tua exponas, consilium. „Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis.“ Roboam relinquens consilium senum, et cum juvenibus tractans, male sibi consuluit. — Perpende amoenam ac inamoenam status eligendi partem. — Proba propensiones viresque tuas, ut noscas, quid valeant humeri, quid ferre recusent; nec unquam solo affectu abripi te sinas.

In electione status caelibis perpetuo servandi bene videndum tibi est, an respectu tui, consideratis omnibus, ad tuam moralem perfectionem opportunior sit futurus; an ejusdem rite servandi spes certa tibi adsit; an vero specialis fors infirmitas, aut contractae malae consuetudinis vitium eam spem infringat; qua intentione, quo fine, an forte solius commoditatis gratia hunc statum amplecti cogites. Ubi denique cum optimo fine et prudenti consilio elegeris, eum veluti virtutis promovendae subsidium adhibere coneris.

A m i c i t i a .

Vera amicitia sine virtute cogitari nequit. Virtute neglecta si te amicos habere arbitraris, errasse te tum demum senties, cum gravis aliquis casus id experiri te cogit. Non meretur amicitiae nomen conjunctio, quae proprii commodi studio, officiositatis exigendae immoderatione, nimia, quae existimationem minuit, familiaritate, adulatione, simulatione, ambitione vel zelotypia infecta est; cumque amore communi, cum socialitatis aut status officiis pugnat. — Quid dulcius, quam habere, quocum omnia audeas sic loqui, ut tecum? „Beatus vir, qui invenit amicum! — Amicus fidelis, protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitae et immortalitatis.“ Talis amicus erat Jonathas erga Davidem, quem dilexit quasi animam suam (*sicut se ipsum*). Exspoliavit se tunica, qua erat indutus, et dedit eam Davidi, cui arctissimo amicitiae vinculo erat devinctus. — Verum non cuivis temere manum injicias; sed caute et prudenter, nec justo citius, nec nisi diligendi dotibus satis perspectis, amicitiam nectas. „Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur!“ Virtutem inprimis Deumque respicito, vitiosis vero omnibus amicitiam addicere caveto. Cum his tantum conversare, dum lex justitiae aut caritatis, aut

eorum emendatio id poscere videntur. Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se. Experientia constat, societate cum malis, e modestis petulantes, e castis lascivos, ex obedientibus rebelles fieri. Adolescens ille e villa proxima Getsemani, qui, dum caperetur Jesus, tumultu excitatus, curiositate impulsus turbam sequebatur, rejecta sindone, qua tegebatur, nudus profugit a militibus, qui eum lacescebant, discipulum esse Christi suspicati. Fuge et tu, quamprimum in malorum societate te esse advertis. — Hominibus tamen, non angelis te jungi cogitato. — Amicitiam debito modo contractam sancte, fortiter et constanter servato; talisque esto erga amicum, qualem eum in te esse vis; per omnia te sincere amantem ei exhibeto. Jungito familiaritatem moderatam; immoderata enim contemtum aut certe fastidium parit. — Consuetudinem haud inutili duntaxat confabulatione, ineptis delectamentis, aut rerum vauarum communicatione absolvito; sed collationem sensorum, consiliorum studiorumque, ad amici inprimis moralem perfectionem, dirigito. Res turpes nec rogato, nec facito rogatus. Quae amicum monenda arbitraris, sincere moneto: nulla enim in amicitiiis pestis est major, quam adulatio, blanditiae, assentatio. Quibuscunque amici monitis, etsi forte minime ad palatum videantur, cum grati animi significatione te accomodato, iisque, ubi rationi convenientia judicaveris, morem gerito. Demum genium, naevos varios, dictaque et facta amici, etsi tibi incommoda, liberaliter ac genereose condonare atque indulgere conator. — Amici-

tiam, nonnisi poscente officio et urgente necessitate, summa prudentia adhibita, cumque minimo, quo fieri potest, strepitu rumpe. Ubi autem salus praesertim animae poscit, vinculum amicitiae dissolvere nil morare. Tene illud: Amicus usque ad aras. „Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.“ — Soluta etiam amicitia ab omni arcanorum abusu aut propalatione, ac ab inutili querimonia abstineto, nedum ab odio aut hostilitate alienissimus esto. — Denique ob inventum novum amicum non dimittito veterem; novus enim vix erit ei similis. — Ora denique pro amico tuo tum in vita, tum a morte ipsius.

Bonum exemplum.

Exempla trahunt efficacius, quam verba et argumenta. Plerique reguntur exemplis. Praeclara virtutis specimina, inprimis a juvenibus edita, ad alios in bono firmandos vel emendandos, gravissimum habent pondus; bonos roborant, vacillantes confirmant, imperfectos corrigunt, malos confutant, stimulumque imitationis vehementissime excitant. „Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est. — Consideremus invicem in provocationem caritatis et bonorum operum. — Nemo adolescentiam tuam spernat; sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.“ De Tobia dicitur: „Cum esset junior omnibus in tribu

Nephtali, nihil tamen puerile gessit in opere. "Omnes actus tui evangelio et Christi exemplo sint consentanei, omnes aliquid imitatione dignum prae se ferant. Finis tuus hac in re sit sanctus amor erga Deum et proximum. — Procul autem a te semper absint ostentatio, vanae gloriae cupiditas, simulatio, hypocrisis aut vanorum finium consecratio. Moribus et pravis exemplis, imo et praejudiciis periculosis, etsi a quibusvis summae etiam dignitatis personis, aut a multitudine auctoritatem sibi conciliarunt, nullo modo cedito, sed potius opposita virtutis exempla imperterrito animo continuato. Cave a vexis, irritationibus, scurrilitatibus, colloquiis, factis, scriptis, picturis, libris, relaxationibus, omnique actione et omissione libera, quae ab altero cognita, vel causa, vel occasio, vel incitamentum ad peccatum esse posset. Eleazarus maluit occidi, quam carnes porcinas comedere, vel etiam simulare, se comedisse. — Cum irent omnes ad vitulos aureos, Tobias solus fugit consortium omnium, et pergebat in Jerusalem, ut ibi adoraret Dominum. „Vae mundo a scandalis! Vae homini, per quem scandalum venit! — Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.“ — Scandalum tanto gravius est peccatum, quo ad plura majorave peccata incitat, quo pluribus personis lapsus dat occasionem. — Ob scandalum autem pharisaicum, quod ex sola accipientis malitia peccati occasionem praebet, nullum bonum opus, tibi aliisque utile, omitte. Christus bene-

facere perrexit, quamquam Pharisei e sanctissimis ejus dictis et factis scandalum sumserint. — Ceterum actiones etiam innocuas omitte ad vitandum infirmorum scandalum. S. Paulus sibi proposuit carnem non manducare, qua per se innocue uti potuisset, ne fratrem suum scandalizaret, pro quo Christus mortuus est, et hac ratione opus Dei destrueret. — Jubet te porro caritas, seductionis periculo expositos adhortari, seductoris artes, malosque fines et mores manifestare, consortia cum eo dissuadere et impedire, ac ejus mala principia adulationesque subdolas enervare, ne te peccati alieni reum reddas. „Videte, ne quis vos seducat.“ — Si cuidam dedisti scandalum, hoc bonis exemplis reparare stude.

Novissima hominis.

Novissima hominis sunt: mors, judicium, infernus et caelestis gloria. Horum recordare saepius, praecipue, ubi tentatio ad peccatum te pulsat; ubi tepor aut adversitas animum dejicere parat, ubi difficultas a perfectionis studio te retrahere tentat, atque ubi ad ardua consilia suscipienda accingeris.

Statutum est hominibus semel **MORI**. Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres. Dispone igitur domui tuae; tota vita tua sit praeparatio ad mortem. Qui bene vivere didicit, didicit bene mori. Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies. Vigila: nescis enim

diem mortis tuae. Fors Dominus veniet hora, qua minime putas. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies. Fors hodie tibi moriendum est. Quam multi juvenes hodie mortui jacent, qui heri de morte ne cogitabant quidem! Christus in parabolis de servis, a patrefamilias ad reddendam rationem vocatis, de virginibus sponsum praestolantibus, de adventu inopino furis, vigilandum esse monet. „Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.“ Episcopo Sardis jussit Dominus Joannem scribere: „Si non vigilabis, veniam ad te tanquam fur.“ Alio in loco dicit: „Cum dormirent homines, venit inimicus, et superseminavit zizania in medio tritici.“ — Vigila itaque circa cogitationes, judicia, principia ac propensiones; circa verba, opera et eorum motiva; circa animi pericula, tentationes, peccati occasiones atque circa bonas inspirationes. Hanc vigilantiam tibi imperant tua infirmitas, levitas et mentis ad externa dissipatio, hostium salutis multitudo, fallacia et pertinacia, atque Christi Domini praeceptum gravissimum. Vigila prudenter, constanter; nil inconsiderate, nil inconstanter, nil ex impetu age; omnia ad rationis et evangelii amussim examina; etiam ad speciem bona ac veluti tua time, ad tentationes te praemuni, ac phantasiam frena. — Praeter vigilantiam commendatam gere curam singularem conscientiae rectae teneraeque; meditare frequenter mortis certitudinem, incertitudinem autem horae ejus, bonorum praesentium vanitatem, vitae hujus brevitatem, miserias et pericula, conjunctionis cum Deo Christoque ardens

desiderium, atque constans quotidie proficiendi propositum concipe; fuge peccata; mors enim peccatorum pessima; elice crebro contritionem; frequenta sacramenta, ita tamen ac si ultima vice ea susciperes; interroga te ipsum saepius: quamdiu, et quomodo vixi? quamdiu vivam? quando et quomodo moriar? Itane agerem, si hanc diem vitae ultimam scirem? Arripe omnes occasiones mortis memoriam revocantes, funera inprimis juvenum. Indies ita cubitum concedas, ac si in altera vita esses evigilaturus. Non differas emendationem vitae ad tempus mortis; tunc enim forte cum gravissimis doloribus luctandum tibi erit. Si modo, dum sanus es, difficile reputas peccata deslere et bonis operibus vacare; quomodo hoc praestabis infirmus, sensibus prope omnibus destitutus? Paucis, quod in hora mortis cupis debesque agere, hoc nunc age. Ita mors erit magistra vitae, ac improvisa et subitanea, mala non erit putanda, cum eam vita bona praecesserit.

Mortem excipiet **JUDICIUM**. Cogita, cui redditurus sis rationem villicationis tuae. Quis judicabit? Omniscius, qui scrutatur renes et corda; Deus aequissimus: „Judicabit Dominus orbem terrarum in aequitate;“ omnipotens et inexorabilis: „horrendum est incidere in manus Dei viventis.“ Nemo de manu ejus te eruere poterit. — Quid judicabit? Cuncta, quae feceris; sive bona, sive mala illa sint. „Omne verbum otiosum, quod locuti sunt homines, reddent rationem de eo in die judicii.“ — Verum non commissa solum, sed et omissa, usum aut ne-

glectum talentorum judicabit; cui enim multum datum est, multum requiretur ab eo. Judicabit neglecta misericordiae opera: „Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare“ etc. Quid si nunc cogitationes, desideria, verba ac opera tua hominibus patescerent? Patebunt autem in die judicii. Quae te manebit sententia? Vitam inutilem malamque mala, bonam bona excipiet sententia: „Quae enim seminaverit homo, haec et metet.“ — Si igitur senseris, te ad peccandum pertrahi, cogita tribunal Christi, et frequentissime vox illa tuis veluti insonet auribus: „Surgite mortui, venite ad judicium.“

Judicium finiet sententia decretoria iudicis, qui dicturus est malis: „Discedite a me maledicti in ignem aeternum, et ibunt hi in supplicium aeternum.“ Perpende jacturae hujus magnitudinem: aeternam a Deo, Christo et Sanctorum consortio exclusionem. Meditare supplicii gravitatem: „Mittet eos in caminum ignis.“ Cogita poenae aeternitatem: „Mali poenas dabunt in interitu sempiternas. — Ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur.“ — Et has poenas incurrendi quantum periculum! „Lata porta, et spatiosa via est, quae ducit ad interitum et multi sunt, qui intrant per eam.“ An non forte peccata inferno digna commisisti? An bona pro viribus egisti? Sin; time illud Christi: „Servum inutilem ejicite in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.“ Ne tardes igitur converti ad Dominum. Nulla enim satis magna securitas, ubi periclitatur aeternitas.

„Venite, dicet Christus his, qui a dextris sunt, venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi..... Ibunt autem justi in vitam aeternam.“ Justos manet intima, aeternaque cum Deo in Christo conjunctio et cum Sanctis communio; manet integra ab omni incommodo immunitas, plena mentis animique exsatiatio omnem hominis captum excedens jucunditas, gloria et dignitas; nam „Oculus non vidit, nec auris audivit; nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus his, qui diligunt eum. — Scimus, quoniam, cum apparuerit (*nobis revelatus in caelo*), similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.“ — Considera autem ejus obtinendae conditionem: „Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. — Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.“ Nec nisi perseverantibus usque in finem vita aeterna promittitur. Sic igitur cur-re, ut bravium accipias. Sic pugna, ut cum S. Paulo dicere possis: „Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex.“ Denique „in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.“

Jesus, exemplar juventutis.

Luc. 2.

Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis (*parentibus Jesu*) Jerosolymam secundum consuetudinem diei fe-


sti, consummatisque diebus (*rite celebratis diebus azymorum*), cum redirent (*in Galilaeam*), remansit puer Jesus in Jerusalem (*non errore, non casu, sed divino consilio*), et non cognoverunt parentes (*in scius parentibus*) ejus. Existimantes autem, illum esse in comitatu (*cum familiaribus, cum iter quasi turmatim facerent*), venerunt iter diei (*securi, quod in communi hospitio sub vesperam eum invenirent*); et requirebant eum inter cognatos et notos, et non inveniētes (*expectatione vero frustrati*) regressi sunt in Jerusalem (*maxima sollicitudine*) requirentes eum. Et factum est, post triduum (*tertia die*) invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos (*instar discipuli, quaestiones proponentem de iis, quae ab illis docentibus audiebat, sive de lege ac prophetis; quasi discere velle videretur, quae ad religionem pertinebant*). Stuebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus (*tam intelligentis judicii dubia proponentem, et ad quaestiones a Doctoribus ipsi propositas respondentem*). Et videntes (*parentes ejus tam insolitum eventum*) admirati sunt (*prudentiam ejus, quem aeternam Sapientiam et Dei Filium esse certissime noverunt*). Et dixit mater ejus ad illum (*ut credere par est, privatim*): Fili, quid fecisti nobis sic? (*cur nobis in scius remansisti, quos tui desiderio non posse non angere noveras?*) Ecce pater tuus, et ego dolentes (*quia tener-*

rimo affectu amantes) quarebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quaerebatis? nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? (Non erat, cur tam anxie me quaereretis; siquidem cogitare poteratis, me in domo Patris mei, in templo, quaerendum, et in ejus negotiis, in ejus gloria procuranda, versari debere; pro ratione ministerii officiique mei, qui ad hoc veni in mundum, ut doctrinam salutis hominibus tradam, ut glorificent Patrem meum caelestem, qui me misit). Et ipsi non intellexerunt (plene) verbum, quod locutus est ad eos (de Patris sui negotiis, in quibus versari eum oportebat, docendo homines, ac pro iis moriendo). Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. (Ipsos in domum secutus est, illisque paruit, ne se emancipasse videretur. Non necessitate porro, sed dignatione parentibus subditus fuit.) Et mater ejus conservabat (memoria retinebat) omnia verba haec in corde suo (et facta haec meditabatur). Et Jesus proficiebat sapientia, et aetate et gratia, apud Deum et homines (proficiebat sapientiae et gratiae operibus, effectis et signis; et exteriori sapientiae ostensione et gratiae manifestatione, secundum proportionem aetatis. Erat quippe plenus gratia et veritate, et in ipso omnes thesauri sapientiae ac scientiae erant absconditi. Profecit quemadmodum sol ab ortu in meridiem progrediens claritate proficere dicitur; non

quod ille crescat, sed quia majorem apud nos lucem diffundit).

Jesus plura milliarum confecit, ut adoraret Patrem in templo Hierosolymitano. Quid sentiendum esset de juvene, cui longa nimis videretur via ad ecclesiam aliquot passibus distantem? — Jesus non sedebat in eodem, quo doctores, ordine ac subsellio, sed inferius, inter auditores, modestiae tibi praebens exemplum, et decorum servans pro ratione aetatis. — In medio doctorum sedet fons sapientiae; quasi exemplar humilitatis, audire prius et interrogare doctores, quam instruere quaerit indoctos. Ne erubescas discere a parentibus, a magistris, a senioribus; ipse Deus hominibus auscultare non erubescit. Ne, infirmus, docere audeas, et ille puer doceri interrogando voluit, qui scientiam ipsis suis doctoribus ministravit. Christum Jesum in Evangelio suo docentem humiliter audi; sacram Scripturam cum pietate lege; et quae non intelligis, ora Deum, ut intelligas; doctores interroga, Ecclesiae aures praebere. „In multitudine Presbyterorum prudentium sta, et sapientiae illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbia laudis non effugiant a te.“ — Noli contendere verbis, sed audi prius cum docilitate et pietate; deinde interroga cum modestia, non ex curiositate, sed ex pio affectu discendi cor Dei in verbis Dei. Audi tacens simul et quaerens. Et cum didiceris, quod ignorabas, Christo gratias age, qui te intus docet. — Prudentiam et responsa pueri Jesu mirabantur, qui illum Deum esse ignorabant. Sed mirare

magis, quod annos triginta latere, sapientiamque suam abscondere voluerit. Humilitatis ejus imitator factus, nescire potius et latere ama, quam in publicam lucem prodire, et hominum sermonibus celebrari. — Porro verbo et exemplo docet te Christus, Dei cultui, obsequio, amoris nihil esse praeponendum; non humana negotia, non parentum societatem, utilitatem, consolationem. — In templo Jesus invenitur. Praeter domum et scholam probus adolescens templum amat. — Exempla denique pietatis agnosce. Disce, debere te parentibus tuis, Christi Jesu exemplo, reverentiam; nec solum parentibus secundum carnem, sed et superioribus, qui tibi sunt instar patrum. Si Jesus, Filius Dei, subjicitur Joseph et Mariae; tu non subjiciaris superioribus ecclesiasticis et civilibus, qui tibi dignatione Domini praepositi sunt? Deus, cui angeli subditi sunt, subditus erat Mariae et Joseph. Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. Deus se humiliat, et tu te exaltes? Si hominis imitari dedignaris exemplum, num indignum tibi videbitur sequi auctorem tuum?



PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, Factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum: et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes, et constitutiones firmissime admitto, et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimum consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque, septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium: illaque conferre gratiam, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in supra dictorum omnium Sacramentorum solempni administratione, recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium pro vivis, et defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis

in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constante teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari; similiter Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri, Apostolorum Principis, successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro. Cetera item omnia, a sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia et haereses quascunque, ab Ecclesia damnatas et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, et rejicio, et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti

sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram, inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum polliceor. Ego idem N. N. spondeo, voveo, ac juro, sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.




INTRODUCTION & PREFACE.



HYMNI.

The word "HYMNI" is rendered in a bold, blackletter-style font. It is surrounded by intricate, symmetrical decorative flourishes that resemble musical notation and scrollwork. The flourishes extend horizontally and vertically, creating a wide, ornate frame around the central text.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



INVOCATIO S. SPIRITUS.

1.

Veni, sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.
Veni Pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.

2.

Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium.
In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium.

3.

O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
Sine Tuo numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

4.

Lava, quod est sordidum,
 Riga, quod est aridum,
 Sana, quod est saucium.
 Flecte, quod est rigidum,
 Fove, quod est frigidum,
 Rege, quod est devium.

5.

Da Tuis fidelibus,
 In Te confidentibus
 Sacrum septenarium.
 Da virtutis meritum,
 Da salutis exitum,
 Da perenne gaudium. Amen.



Alius hymnus.

1.

Veni, Creator Spiritus,
 Mentis tuorum visita;
 Imple superna gratia,
 Quae tu creasti, pectora.
 Qui diceris Paraclitus
 Donum Dei altissimi,
 Fons vivus, ignis, charitas,
 Et spiritalis unctio.

2.

Tu septiformis munere,
 Dextrae Dei tu digitus;
 Tu rite promissum Patris
 Sermone ditans guttura.
 Accende lumen sensibus,
 Infunde amorem cordibus,
 Infirma nostri corporis
 Virtute firmans perpeti.

3.

Hostem repellas longius
 Pacemque dones protinus;
 Ductore sic te praevio
 Vitemus omne noxium.
 Per te sciamus, da, Patrem,
 Noscamus atque Filium,
 Teque utriusque Spiritum,
 Credamus omni tempore.

*

Deo Patri sit gloria
 Ejusque soli Filio
 Cum Spiritu Paraclito
 Nunc et per omne saeculum. Amen.



SUB SS. MISSÆ SACRIFICIO.

H Y M N U S I.

Ad Introitum.

Te vove summo Numini
 Fidelis Christo grex,
 Cor apta almo lumini,
 Quod praebet nova lex!
 Fac Jesu, tam propitio
 Nos dignos sacrificio,
 Dum nos ad aram congregas
 Ut lapsos clemens erigas!
 O salva nos,
 O salva Jesu nos!

Ad Gloria.

Te Deum collaudemus,
 Mentis piaculum,
 Cum angelis dicemus
 In omne saeculum:
 Laus, grates atque honos
 Sit Tibi Trinitas!
 Et nomen penes bonos
 Crescat, o Deitas!

Ad Evangelium.

A Deo nobis datum
 Est evangelium,
 Apostolis mandatum
 Ejus mysterium:

Hoc dulci nutrimento
 Mens nostra alitur;
 Hoc septa munimento
 Ad astra tollitur.

Ad Credo.

Omnipotens! humi prostratus
 Fatetur coelis genitum
 Naturae Dominum, Te satus,
 Virtute omni praeditum;
 Et qui processit ex Te natus,
 Aeternus Deus creditur,
 A sancto Spiritu conceptus,
 Et Virgo Mater colitur.

Ad Offertorium.

E manu sacerdotis,
 Qui offert hostiam,
 Augustae compos dotis,
 Pro nobis sauciam,
 Quae dona possidemus,
 A nobis suscipe:
 En, Tibi nos vovemus,
 Ad Te nos recipe.

Ad Sanctus.

1.

Salvator creatorum,
 Tu solus sanctus es,
 In coelis rex justorum,
 In terris nostra spes!

Te coelites adorant,
 Loquuntur opera,
 Te angeli honorant,
 Mirantur sidera.

2.

Nos laeti celebramus,
 Perculsi gaudio,
 Quem coeli nobis damus
 Pro sacrificio.
 Hosanna in excelsis!
 Laus Tibi Domine!
 Tuoque fines maris
 Replentor nomine.

Post Elevationem.

Anima gestit Te salvere,
 Dulcis Jesu! pande coelum;
 Ut possit pia Te videre,
 Tegens visum deme velum!
 Reclude Tui cordis sinum,
 Da petenti robur divinum,
 Ut cernat olim Deum trinum:
 Tuo cupit frui cultu,
 Et beari Tuo vultu.

Ad Agnus Dei.

Conspicite dolentem,
 Qui madet sanguine,
 Et guttam profluentem
 In ima voragine.

Peccata nostra tollit
 Fertque malitiam,
 Omni, qui Patrem colit,
 Dat pacem, gratiam.

Ad Communionem.

Amoris sacrum pignus
 Anhelat anima,
 Da Pater! ut sim dignus
 Coelesti victima;
 Rogantem me dignare
 Saero convivio,
 Labentem me tutare
 Firmo praesidio.

Ad Finem.

Divine Sator rerum!
 Tibi litavimus,
 Et animum sincerum
 Tibi dicavimus:
 Clementem imploramus
 Te fontem gratiae,
 Ut compotes fiamus
 Coelestis gloriae.



II.

1.

Prosternimur credentes,
 Coram Te Trinitas,
 Exaudi concinentes,
 O una Deitas!
 En Hostiam litamus,
 Quam lege jusseras,
 Nos simul immolamus,
 Quibus Te dederas.

2.

Ascendat ut incensum
 Isthæc oblatio;
 Fiat munus impensum
 Tui placatio;
 Non vitulos donamus,
 Ut Aaron fecerat;
 In ara Christum damus,
 Qui se sacraverat.

3.

Servator ante coenam,
 Quæ fuit ultima,
 Vadens in mortis poenam,
 Amoris Victima;
 Panem, vinum accepit,
 Dedit discipulis,
 Hoc facerent, praecepit,
 Sacris in epulis.

4.

Vos, ait, manducate
 Hoc carnis epulum,
 Et calicem libate
 Salutis poculum:
 Hoc mortis monumentum
 Ne mente abeat,
 Amoris documentum
 In vobis maneat.

Ad Gloria.

1.

O Deus Majestatis!
 Tibi laus, gloria;
 Sit bonae voluntatis
 Cunctis laetitia.
 Ne bella, fac clementer,
 Fideles opprimant:
 Altari confidenter
 Qui Tuo proximant.

2.

Rex caeli, Pater magnus,
 Glorificamus Te.
 O Fili! Dei Agnus,
 Proni laudamus Te.
 Spiritui Divino
 Compar sit gloria,
 Honor sit Uni Trino,
 Saecla per omnia.

Ad Evangelium.

1.

Est Dei Testamentum
 In Evangelio:
 Hoc habet fundamentum
 Vera Religio;
 Hoc Lumen orbi dedit,
 Qui nunquam fallitur;
 Felix, qui firmus credit
 Et promptus sequitur.

2.

Hoc verbum Veritatis
 Commonstrat semitam,
 Sanctae beatitatis
 Justis pollicitam.
 Da Deus custodire,
 Quae per te credimus:
 Ad vitam sic venire,
 Ad quam contendimus.

Ad Credo.

1.

Te Patrem confitemur
 Factorem omnium;
 Et Filium fatemur
 Salutis pretium.
 Ad nos venit de caelo
 Natus de Virgine,
 Confracto mortis telo,
 Passus pro homine.

2.

Crucis morti addixit
 Illum gens impia:
 Post dies tres revixit
 Virtute propria:
 Ascendens caelos sedet
 In Patris gloria;
 Venturus iudex reddet
 Poenas et praemia.

3.

Paraclitum fatemur,
 Quod in Ecclesia
 Communio, docemur,
 Sit Sanctis socia,
 Peccatum relaxatur,
 Carnis resurrectio,
 Perpetuaeque datur
 Vitae fruitio.

Ad Offertorium.

1.

Aeternus Deus unus
 Oblatum suscipe,
 Panis et vini munus
 Placatus accipe;
 Nam Panis Corpus verum
 Pro cunctis Hostia,
 Et sanguis Christi merum
 Fiet propitia.

2.

Sacramus voluntatem,
 Cor, corpus, omnia;
 Juva fragilitatem
 Suprema gratia:
 Da leges custodire,
 Quas jubes exsequi,
 Malo non consentire,
 Salutem adsequi.

3.

Quae das terrena bona,
 Tibi offerimus:
 Vitam, et cuncta dona
 Litantes credimus.
 Nunc pluviam faventem,
 Nunc solem credito,
 Nunc rore immadentem
 Tellurem pascito.

Ad Sanctus.

1.

Mentem et cor levemus,
 Ad Caeli atria;
 Ter Sanctus insonemus
 Deo in gloria.
 O ejus majestate
 Plena sunt omnia,
 Da gentes coecitate
 Leventur noxia!

2.

Ut sic unito corde
 Hosanna mens pium,
 Procul a quavis sorde
 Applaudat omnium.
 Benedictus, qui venit
 In Dei Nomine,
 Qui probra nostra lenit
 Mundans nos crimine

Ad Elevationem.

Adoramus te Christe, et benedicimus tibi,
 quia per crucem redemisti mundum.

Post Elevationem.

1.

Adoro te devote
 Velata Deitas!
 Quis capit vel remote
 Modum, quo latitas?
 Hic sola fides regnat;
 Nam est mysterium,
 Fidelis ut quis credat
 Tantum prodigium.

2.

In cruce fuit tecta
 Sola Divinitas;
 Sed isthic et contacta
 Manet humanitas.

Divinum Manna datur,
 Panis caelestium;
 Mors Christi memoratur,
 Salutis pretium.

3.

O Jesu! nos immundós
 In tuo sanguine
 Munda, et fac fecundos
 Cruoris germine:
 Aeternam, quam speramus,
 Vitam in Patria,
 Da, ut obtineamus
 In caeli curia.

Ad Communionem.

1.

Gaudete piae mentes,
 Ecce Mysterium!
 Este corde praesentes
 Ad hoc convivium:
 Sub velo panis latet
 Corpus indubie,
 Et Sanguis Christi latet
 Sub vini specie.

2.

Agnus Dei, qui deles
 Mundi piacula,
 Sacramento fideles
 Pascens per saecula:

O Jesu! miserere,
 Contritos respice;
 In pace nos tuere,
 Nec abs te rejice.

3.

Indigni quidem sumus,
 Ad quos tu venias;
 Mox tamen sani sumus,
 Si nos respicias.
 O! dic, hoc Sacramentum
 Mundet nos crimine,
 Sit nobis firmamentum
 In vitæ limine.

Ad Ite missa est.

1.

O Deus gratiarum
 Tibi litavimus,
 Solemnia Missarum
 Tibi dicavimus:
 Obsequium collatum,
 Clementer suscipe,
 Da nobis te placatum,
 Nunquam nos despice.

2.

O Deus Sancte, Fortis,
 Tui dilectio
 Sit in momento mortis
 Nostra protectio,

Immunes peccatorum
 Coram te **Judice**,
 Ut Civium Sanctorum
 Signemur indice.



III.

Ad Introitum.

1.

Prostrati ante thronum
 Tuum, o Trinitas!
 Orationis donum,
 Precamur, tribuas,
 Ut pietatis igne
 Succensi mysticam
 Aeterno Patri digne
 Sacremus hostiam.

2.

Adeste cum Parente
 Misericordiae,
 Sancti, quos pia mente
 Plebs colit hodie:
 Cum nostris votis tota
 Caelorum Curia
 Conjunge tua vota
 Pro Dei gloria.

Ad Gloria.

1.

In caelo laudent Throni,
 Te Deus cantibus,
 In terra cordis boni
 Pax sit hominibus,

Laudamus, adoramus,
 Et benedicimus,
 Te glorificamus,
 Et grates agimus.

2.

O Deus, Rex caelestis,
 Pater omnipotens!
 O Fili a scelestis
 Peccata removens!
 Cum nos urgebit metus
 In vitae exitu,
 Exaudi nostros fletus,
 Cum Sancto Spiritu.

Ad Orationes.

In Sanctis tuis nimis
 Deus mirabilis,
 Concede, ut inprimis
 Beatae Virginis
 Et omnium Sanctorum
 Intercedentibus
 Suffragiis, caelorum
 Jungamur mentibus.

Ad Epistolam.

En servus tuus tacet,
 Loquaris Domine;
 Nam sermo tuus placet
 Plus mellis flumine:

Illo ego non secus,
 Ductus ac lumine,
 Nunquam a meo coecus
 Errabo Numine.

Ad Evangelium.

O qui dixisti: Ite,
 Tuis discipulis,
 Proferte verbum vitae
 Quibusvis populis:
 Tu nobis sis Via, Dux,
 Vita et Veritas.
 Triumphus noster sit crux,
 Non mundi vanitas.

Ad Credo.

1.

Deum Patrem, et Patris
 Credo in Filium;
 Credo ex carne Matris
 Mariae genitum,
 Morte crucis affectum,
 Ex limbo reducem,
 In caelosque evectum,
 Venturum judicem.

2.

Credo in Paracletum,
 Credo Ecclesiae
 Communionem fretum:
 Potiri veniae;

Hanc carnem surrecturam,
 Olim ex pulvere;
 Aeternamque futuram
 Vitam in aethere.

Ad Offertorium.

Acceptes Sancte Pater
 Hanc puram Hostiam;
 Sit tibi et hic crater
 In Eucharistiam;
 Da per haec dona cunctis
 Peccati veniam,
 Da vivis ac defunctis
 Salutis gratiam.

Ad Lavabo.

Delectare odore
 Nostrorum munerum,
 Lava nos a foetore,
 Mi Deus! scelerum;
 Ut in mensa Sanctorum
 Libare fercula
 Per cuncta saeculorum
 Possimus saecula.

Ad Sanctus.

1.

Cantemus: Sanctus, Sanctus,
 Sanctus est Dominus,
 Non eminus est tantus
 Deus, nec cominus,

Quam sit hic; benedictus,
 Qui venit, Domine,
 Nostram carnem amictus
 In tuo Nomine.

2.

Sonent omnis aetatis
 Hosanna pectora,
 Plena est majestatis
 Tuae Caelum, terra,
 Hosanna et in castris
 His vitae velites,
 Hosanna et in Astris
 Decantent Caelites.

Post Elevationem.

1.

Ave o corpus natum
 Ex Matre Virgine,
 In cruce quod oblatum
 Fuit pro homine,
 Quod fluxit perforatum
 Unda et sanguine,
 Sit nobis praegustatum
 In mortis limine!

2.

Sit robur calix iste
 Infirmæ animæ.
 Et mortuis, o Christe!
 Sit pro levamine:

Inprimis cognatorum
 Memento Domine,
 Et qui benefactorum
 Censentur nomine.

Ad Pater noster.

Pater, qui es in caelis,
 Tibi encomia!
 Et nobis dare velis
 Caelorum praemia.
 Fiat tua voluntas,
 Da panis munera,
 Dimitte nobis culpas,
 Tentatos libera.

Ad Agnus Dei.

1.

Agnus Dei, qui tollis
 Peccata foederis,
 Dum Solimaei collis
 In ara caederis:
 Ah miserere! pacem
 Dona poscentibus;
 Exstingue belli facem
 In cunctis gentibus.

2.

O Jesu panis vivus!
 Justorum portio
 Sit tua Caro cibus,
 Et Sanguis potio;

Queis anima resecta
 Mea te diligit,
 Et vicissim dilecta
 Hoc aevum transigat.

Ad Finem Missae.

1.

Advolvimur jam Throno
 Tuo, o Trinitas!
 Pro Jesu Christi dono
 Agentes gratias,
 Precamur te ardentibus,
 Ut, quam hic mysticam
 Obtulimus, libenter
 Acceptes Hostiam.

2.

Ite jam, o Fideles!
 Nam ut praescripta est
 Oblatio ad aedes
 Supernas missa est.
 Ite, sed ex virtute
 Una in alteram,
 Ite a juventute
 Ad vitae vesperam.



IV.

Ad Introitum.

1.

Te Deum adoramus,
 Auctorem gratiae,
 Te fontem imploramus
 Misericordiae,
 Dum tibi immolamus
 Salutis hostiam,
 Delictis, quam rogamus,
 Da pius veniam.

2.

Non priscae legis boves
 Ad aram ducimus,
 Sed, qui redemit oves,
 Agnum offerimus:
 Qui se immaculatum
 In cruce obtulit,
 Dum moriens peccatum
 A nobis sustulit.

3.

Is est, quem te missurum
 Nobis promiseras,
 Is, quem nos redempturum,
 Olim sponderas,
 Is, qui non dubitavit
 Nasci de Virgine;
 Is, qui nec recusavit,
 Mori pro homine.

Ad Gloria.

1.

Cum Angelis cantamus,
 Sit Deo gloria!
 Sit pax quam exoptamus,
 Bonis propitia.
 Te, Christe, collaudamus,
 Te benedicimus,
 Te proni adoramus,
 Et grates agimus.

2.

Te Deum veneramur,
 Solum sanctissimum,
 Prostrati, te precamur,
 Solum altissimum,
 In regno Patris tui
 Cum sancto Spiritu,
 Tui divino frui
 Fac nos intuitu.

Ad Evangelium.

Edoctis, quid credendum,
 Ex Evangelio,
 Et quid sit faciendum
 In hoc exilio,
 Da robur, ut credamus,
 Quod nos vis credere,
 Et promte faciamus,
 Quod jubes facere.

Ad Credo.

In unitate trinum,
 Te Deum credimus,
 Et credentes in sinum
 Tuum confugimus:
 Hic fidem profitemur
 Unam, catholicam,
 Sanctamque reveremur
 Et apostolicam.

Ad Offertorium.

1.

Indigni licet simus,
 Hoc sacrificium
 Litatum tibi imus
 Per sacerdotium.
 Ne nos, qui id litamus,
 Abs te rejicias,
 Sed clemens haec, quae damus,
 Dona respicias.

2.

Sunt illa panis, vinum,
 Dona terrestria;
 Sed verbum per divinum
 Fient mysteria,
 Suprema quae in coena
 Christus instituit,
 Cum turba duodena
 Quando accubuit.

Ad Praefationem.

En venit benedictus
 In sua gloria,
 Rex Sabaoth invictus,
 O Sion filia!
 Quin Sanctus personamus,
 Sanctus concinimus,
 Sanctus ingeminamus,
 Nosque prosternimus.

Post Elevationem.

1.

Sub signis his, non rebus,
 Quae vere latitas,
 Sub hisque speciebus
 Ades o Deitas!
 Profunde nostras mentes,
 Tibi subijcimus,
 Quia te intuentes;
 Toti deficimus.

2.

Fac, ut quem nunc latentem
 Isthic conspicimus,
 Et Patris considentem
 Ad dextram credimus,
 Dum olim eruemur
 Ex hac caligine,
 Te illic contemplemur,
 Demto velamine.

Ad Pater noster.

1.

Sit tuum, Pater, nomen
 Sanctum mortalibus,
 Beatae vitae omen
 Sit nobis omnibus;
 Tuae nos potestati
 Promptos subijcimus,
 Tuaeque voluntati
 Totos addicimus.

2.

Quotidianum dato
 Panem petentibus,
 Et culpas condonato,
 Has confitentibus.
 Te Duce, praeventamus
 Mala, quae imminet,
 Et vincla dirumpamus,
 Quae captos detinent.

Ad Communionem.

Fac istud sacramentum
 Nos digne sumere,
 Supremum dum momentum
 Continget fluere,
 Hoc cibo confortati,
 Hinc demigrabimus,
 Et tuae majestati
 Nos praesentabimus.

Sub finem Missae.

Cum choris angelorum,
 Tibi adstantium,
 Cum coetibus sanctorum,
 Te collaudantium,
 Aeternum, fac, laudemus
 Te, Pater optime,
 Aeternum celebremus
 Te, Deus maxime.



DE SS.

EUCCHARISTIAE SACRAMENTO.



I.

Pange, lingua, gloriosi
 Corporis mysterium,
 Sanguinisque pretiosi,
 Quem in mundi pretium,
 Fructus ventris generosi,
 Rex effudit gentium.

2.

Nobis datus, nobis natus
 Ex intacta virgine,
 Et in mundo conversatus,
 Sparso verbi semine;
 Sui moras incolatus
 Miro clausit ordine.

3.

In supremæ nocte coenæ
 Recumbens cum fratribus:
 Observata lege plene
 Cibis in legalibus:
 Cibum turbae duodenæ
 Se dat suis manibus.

4.

Verbum caro, panem verum
 Verbo carnem efficit:
 Fitque sanguis Christi merum;
 Etsi sensus deficit,
 Ad firmandum cor sincerum
 Sola fides sufficit.

5.

Tantum ergo sacramentum
 Veneremur cernui:
 Et antiquum documentum
 Novo cedat ritui:
 Praestet fides supplementum
 Sensuum defectui.

6.

Genitori, genitoque
 Laus et jubilatio,
 Salus, honor, virtus quoque,
 Sit, et benedictio:
 Procedenti ab utroque
 Compar sit laudatio. Amen.



II.

Sacris solemniis juncta sint gaudia,
 Et ex praecordiis sonent praeconia;
 Recedant vetera, nova sint omnia
 Corda, voces et opera.

2.

Noctis recolitur coena novissima,
 Qua Christus creditur agnum et azyma
 Dedisse fratribus, juxta legitima
 Priscis indulta patribus.

3.

Post agnum typicum, expletis epulis,
 Corpus Dominicum datum discipulis,
 Sic totum omnibus, quod totum singulis,
 Ejus fatemur manibus.

4.

Dedit fragilibus Corporis ferculum,
 Dedit et tristibus Sanguinis poculum,
 Dicens: Accipite, quod trado vasculum,
 Omnes ex eo bibite.

5.

Sic sacrificium istud instituit,
 Cujus officium committi voluit
 Solis Presbyteris, quibus sic congruit,
 Ut sumant, et dent ceteris.

6.

Panis angelicus fit panis hominum :
 Dat panis coelicus figuris terminum :
 O res mirabilis! manducat Dominum
 Pauper, servus et humilis.

7.

Te Trina Deitas, unaque poscimus,
 Sic nos tu visita, sicut te colimus :
 Per tuas semitas duc nos, quo tendimus,
 Ad lucem, quam inhabitas. Amen.



III.

Lauda, Sion, Salvatorem,
 Lauda ducem, et pastorem,
 In hymnis et canticis.
 Quantum potes, tantum aude :
 Quia major omni laude,
 Nec laudare sufficis.

2.

Laudis thema specialis!
 Panis vivus, et vitalis
 Hodie proponitur.
 Quem in sacrae mensa coenae,
 Turbae fratrum duodenae
 Datum non ambigitur.

3.

Sit laus plena, sit sonora,
 Sit jucunda, sit decora
 Mentis jubilatio.
 In hac mensa novi Regis,
 Novum Pascha novae Legis,
 Phase vetus terminat,

4.

Quod in coena Christus gessit,
 Faciendum hoc expressit
 In sui memoriam.
 Docti sacris institutis,
 Panem, vinum in salutis
 Consecramus hostiam.

5.

Dogma datur Christianis,
 Quod in carnem transit panis,
 Et vinum in sanguinem.
 Quod non capis, quod non vides,
 Animosa firmat fides,
 Praeter rerum ordinem.

6.

Sub diversis speciebus,
 Signis tantum, et non rebus,
 Latent res eximiae.
 Caro cibus, sanguis potus:
 Manet tamen Christus totus
 Sub utraque specie.

7.

A sumente non concisus,
 Non contractus, non divisus,
 Integer accipitur.

Sumit unus, sumunt mille:
 Quantum isti, tantum ille:
 Nec sumptus consumitur.

8.

Sumunt boni, sumunt mali,
 Sorte tamen inaequali
 Vitae vel interitus.

Mors est malis, vita bonis:
 Vide, paris sumptionis,
 Quam sit dispar exitus.

9.

Fracto demum Sacramento,
*Ne vacilles, sed memento, *)*
 Tantum esse (adest) sub fragmento,
 Quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura;
 Signi tantum fit fractura:
 Qua nec status, nec statura
 Signati minuitur.

10.

Ecce panis angelorum
 Factus cibus viatorum:
Vere panis filiorum,
 Non mittendus canibus.

*) *Typis obliquis exscripta a canentibus omit-*
tantur.

In figuris praesignatur,
Cum Isaac immolatur:
 Agnus Paschae deputatur:
 Datur manna patribus.

11.

Bone Pastor, panis vere,
Jesu nostri miserere,
Tu nos pasce, nos tuere,
 Tu nos bona fac videre
 In terra viventium,
Tu, qui cuncta scis, et vales:
 Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
 Cohæredes, et sodales
 Fac sanctorum civium. Amen.



IV.

Adoro te supplex, latens Deitas,
 Quae sub his figuris vere latitas:
 Tibi se cor meum totum subjicit,
 Quia te contemplans totum deficit.
 Visus, gustus, tactus in te fallitur,
 Sed auditu solo tuto creditur.

2.

Credo, quidquid dixit Dei Filius:
 Nil hoc veritatis verbo verius.
 Latuit in cruce sola Deitas,
 At hic latet simul et Humanitas:
 Ambo tamen credens atque confitens,
 Peto, quod petivit Latio poenitens.

3.

Plagas, sicut Thomas, non intueor:
 Deum tamen meum te confiteor.
 Fac me tibi semper magis credere;
 In te spem habere, te diligere.
 Panis vivus, vitam praestans homini,
 O memoriale mortis Domini!

4.

Praesta menti meae de te vivere,
 Et te illi semper dulce sapere.
 O fons puritatis Jesu Domine,
 Me immundum munda tuo sanguine,
 Cujus una stilla salvum facere
 Totum quit ab omni mundum scelere.

5.

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
 Oro, fiat illud, quod tam sitio:
 Ut te revelata cernens facie,
 Visu sim beatus tuae gloriae.
 Visus, gustus, tactus in te fallitur
 Sed auditu solo tuto creditur. Amen.



De Ss. Nomine Jesu.

1.

Jesu! dulcis memoria,
 Dans vera cordis gaudia:
 Sed super mel et omnia,
 Ejus dulcis praesentia.

2.

Nil canitur suavius,
 Auditur nil jucundius,
 Nil cogitatur dulcius,
 Quam Jesus Dei Filius.

3.

Jesu, spes poenitentibus,
 Quam pius es petentibus!
 Quam bonus, te quaerentibus!
 Sed quid invenientibus?

4.

Nec lingua valet dicere,
 Nec litera exprimere,
 Expertus potest credere,
 Quid sit: Jesum diligere.

5.

Jesu! dulcedo cordium,
 Fons vivus, lumen mentium,
 Excedens omne gaudium
 Et omne desiderium.

6.

Jesu! decus angelicum,
 In aure dulce canticum,
 In ore mel mirificum,
 In corde nectar coelicum.

7.

Qui te gustant, esuriunt,
 Qui bibunt, adhuc sitiunt,
 Desiderare nesciunt,
 Nisi Jesum, quem diligunt.

8.

O Jesu, mi dulcissime!
 Spes suspirantis animae;
 Te quaerunt piae lacrymae,
 Te clamor mentis intimae.

9.

Mane nobiscum, Domine,
 Et nos illustra lumine,
 Pulsa mentis caligine,
 Mundum reple dulcedine.

10.

Jesu mi bone! sentiam
 Amoris tui copiam!
 Da mihi per praesentiam
 Tuam videre gloriam.

11.

Jesu, nostrum sis gaudium,
 Qui es futurus praemium,
 In te sit nostra gloria,
 Salus, quies in patria!



De septem verbis a Christo in cruce prolatis.

1. *Verbum.*

Ave Jesu, qui mactaris,
 Sed tortorum, deprecaris
 Patrem, culpaе parcere.

Promte fac nos indulgere,
 Nec vindictam exercere,
 Corde, verbis, opere.

2. *Verbum.*

Ave Jesu, qui latroni
 Poenitenti, summi boni
 Promisisti gratiam.
 Tali nos contritione,
 Nunc et mortis in agone
 Fac mereri veniam.

3. *Verbum.*

Ave Jesu, qui praesentem
 Cruci matrem, heu! dolentem
 Commendas discipulo.
 Pari nos tuere cura;
 Per te constet mens segura
 Quovis in periculo.

4. *Verbum.*

Ave Jesu, qui dixisti:
 Pater! Quid me reliquisti
 Tantis in suppliciis?
 Ne nos linquas, ut ruamus,
 Semper tecum persistamus
 Fortes in angustiis.

5. *Verbum.*

Ave Jesu, qui testaris
 Sitim; sed, heu! quo potaris,
 Tu, qui pascis omnia?

Fac aeterna nos sitire,
Mundi, carnis fastidire
Fugitiva gaudia.

6. *Verbum.*

Ave Jesu, consummasti
Jussa Patris, et donasti
Tua nobis merita.
Bene fac nos inchoare,
Sed et plene consummare
Tua beneplacita.

7. *Verbum.*

Ave Jesu, qui sermonem
Morte claudens et agonem,
Patri tradis animam.
O mors tua nos emundet
Vitam bonis fac foecundet,
Mortem det tutissimam.



IN HONOREM
BEATAE VIRGINIS MARIAE.

I.

○ sanctissima, o piissima
Dulcis virgo, Maria!
Mater amata, intemerata,
Ora, ora pro nobis!

2.

Tu solatium et refugium,
 Virgo, Mater Maria!
 Quidquid optamus, per te speramus:
 Ora, ora pro nobis!

3.

Ecce debiles, perquam flebiles,
 Salva nos, o Maria!
 Tolle languores, pelle dolores,
 Ora, ora pro nobis!

4.

Virgo respice, mater adspice,
 Audi nos, o Maria!
 Tu medicinam portas divinam:
 Ora, ora pro nobis.

5.

Tua gaudia et suspiria
 Juvent nos, o Maria!
 In te speramus, ad te clamamus:
 Ora, ora pro nobis!



II.

Omni die dic Mariae
 Mea laudes anima!
 Ejus festa, ejus gesta
 Cole devotissima.

2.

Contemplare et mirare
Ejus celsitudinem;
Dic felicem Genitricem,
Dic beatam Virginem.

3.

Ipsam cole, ut de mole
Criminum te liberet;
Hanc appella, ne procella
Vitiatorum superet.

4.

Haec persona nobis dona
Contulit coelestia;
Haec Regina nos divina
Illustravit gratia.

5.

Lingua mea dic trophaea
Virginis puerperae,
Quae inflicto maledictum
Miro transfert germine.

6.

Sine fine dic Reginae
Mundi laudum cantica;
Ejus dona semper sona,
Semper illa praedica.

7.

Omnes mei sensus ei
Personate gloriam;
Frequentate tam beatæ
Virginis memoriam.

8.

Nullus certe tam disertae
 Extat eloquentiae,
 Qui condignos promat hymnos
 Ejus excellentiae.

9.

Quamvis sciam, quod Mariam
 Nemo digne praedicet;
 Tamen vanus et insanus
 Est, qui illam reticet.

10.

Cujus vita erudita,
 Disciplina coelica,
 Argumenta et figmenta
 Destruxit haeretica.

11.

Hujus mores tanquam flores
 Exornant Ecclesiam;
 Actiones et sermones
 Miram praestant gratiam.

12.

Haec amanda et laudanda
 Cunctis specialiter;
 Venerari, praedicari,
 Decet eam jugiter.

13.

Ipsa donet, ut, quod monet
 Natus ejus, faciam,
 Ut finita carnis vita
 Laetus Hanc aspiciam.



III.

Ave maris stella;
 Dei mater alma,
 Atque semper virgo,
 Felix coeli porta.

2.

Sumens illud ave
 Gabrielis ore,
 Funda nos in pace,
 Mutans Evae nomen.

3.

Solve vincla reis,
 Profer lumen caecis,
 Mala nostra pelle:
 Bona cuncta posce.

4.

Monstra te esse Matrem,
 Sumat per te preces,
 Qui pro nobis natus
 Tulit esse tuus.

5.

Virgo singularis,
 Inter omnes mitis,
 Nos culpis solutos,
 Mites fac et castos.

6.

Vitam praesta puram,
 Iter para tutum,
 Ut videntes Jesum,
 Semper collaetemur.

7.

Sit laus Deo Patri,
 Summo Christo decus,
 Spiritui sancto,
 Tribus honor unus.



IV.

Stabat mater dolorosa
 Juxta crucem lacrimosa,
 Dum pendebat filius.
 Cujus animam gementem,
 Constrictam et dolentem
 Pertransivit gladius.

2.

O quam tristis et afflicta
 Fuit illa benedicta
 Mater unigeniti!
 Quae moerebat, et dolebat,
 Pia mater dum videbat
 Nati poenas inclyti.

3.

Quis est homo, qui non fleret,
 Matrem Christi si videret
 In tanto supplicio?
 Quis non posset contristari
 Christi matrem contemplari
 Dolentem cum Filio?

4.

Pro peccatis suae gentis
 Vidit Jesum in tormentis,
 Et flagellis subditum.
 Vidit suum dulcem Natum
 Moriendo desolatum,
 Dum emisit spiritum.

5.

Eja mater, fons amoris,
 Me sentire vim doloris
 Fac, ut tecum lugeam.
 Fac, ut ardeat cor meum
 In amando Christum Deum,
 Ut sibi complaceam.

6.

Sancta mater istud agas,
 Crucifixi fige plagas
 Cordi meo valide.
 Tui Nati vulnerati
 Tam dignati pro me pati
 Poenas mecum divide.

7.

Fac me tecum pie flere,
 Crucifixo condolere,
 Donec ego vixero.
 Juxta crucem tecum stare,
 Et me tibi sociare
 In planctu desidero.

8.

Virgo virginum praeclara,
 Mihi jam non sis amara,
 Fac me tecum plangere.
 Fac, ut portem Christi mortem,
 Passionis fac consortem,
 Et plagas recolere.


9.

Fac me plagis vulnerari
 Fac me cruce inebriari,
 Et cruore Filii.
 Fac me cruce custodiri,
 Morte Christi praemuniri,
 Confoveri gratia.

10.

Flammis ne urar succensus,
 Per te, virgo, sim defensus
 In die iudicii.
 Christe, cum sit hinc exire,
 Da per matrem me venire
 Ad palmam victoriae.

Quando corpus morietur,
 Fac, ut animae donetur
 Paradisi gloria. Amen.



Kirchenlieder.

Vor dem Gottesdienste.

1.

Besprenge mich mit Hyssop Herr!
 Erbarme Dich Barmherziger,
 Und wasche mich von Sünden rein,
 Lass' meine Schuld getilget sein.

2.

Erschaff' in mir ein reines Herz,
 Erfüllt von Lieb' und Reueschmerz;
 Ein heilig Herz, das Dir gefällt,
 Und an Dein Wort allein sich hält.

3.

Dir Gott, den Erd' und Himmel preist,
 Dir Vater, Sohn und heil'ger Geist;
 Dir heiligste Dreieinigkeit,
 Sei Ehre, Lob und Preis geweiht.

Segenlied.

1.

Vor dem Sakrament vereinet
 Beten wir mit Herz und Mund;
 Was das alte Zeichen meinet,
 Weichet vor dem neuen Bund;
 Was den Sinnen nicht erscheinet,
 Thut der Herr dem Glauben kund.

2.

Vater, Sohn! zu Eurem Throne
 Jubel steig' aus ird'scher Nacht;
 Von Euch kommt die ew'ge Krone,
 Und des Segens heil'ge Macht.
 Dir vom Vater und vom Sohne,
 Geist! sei gleiches Lob gebracht.



II.

Wir beten an, Dich wahres Himmelsbrod!
 Dich Heiland, Herr, barmherzig großer Gott!
 Heilig, heilig, heilig,
 Du bist allzeit heilig!
 Sei gepriesen ohne End',
 In dem heiligsten Sakrament!

2.

Wir bitten dich, erbarm' dich großer Gott!
 Und segne uns durch dieses Gnadenbrod!
 Heilig, heilig, heilig,
 Du bist allzeit heilig!
 Sei gepriesen ohne End'
 In dem heiligsten Sakrament!



III.

Vor dem h. Segen.

Wir ehren Dich, lebendiges Engelsbrod,
 Und wahrer Mensch zugleich, o großer Himmelsgott.
 Heilig, heilig, heilig,
 Heilig, über heilig
 Ist Jesus Christus ohne End',
 In dem heiligsten Sakrament!

Nach dem h. Segen.

Berlaß uns nicht, o Herr!
 Jesus, Du süßester,
 Jesus, Du süßester,
 Berlaß uns nicht, o Herr!
 Gelobet allezeit
 Sei der süßeste Name Jesus
 Und der Name Maria!



M e ß g e s ä n g e .

Erstes Aeklied.

Zum Kyrie.

1.

Hier liegt vor Deiner Majestät
 Im Staub die Christenschaar,
 Das Herz zu Dir, o Gott! erhöht,
 Die Augen zum Altar.
 Schenk' uns, o Vater! Deine Guld,
 Vergib uns uns're Sündenschuld.
 O Gott! von Deinem Angesicht
 Verstoß uns arme Sünder nicht,
 Verstoß uns nicht,
 Verstoß uns Sünder nicht.

2.

Wir haben Herr! Dein Gut verschwend't,
 Wie der verlorne Sohn!
 Die Sünde hat uns so verblend't.
 Doch schau von Deinem Thron
 Mitleidig her auf unsern Schmerz,
 Werwirf nicht ein zerknirschetes Herz,

Entzieh' die Vaterhuld uns nicht,
 Und sende uns Dein Gnadenlicht,
 Dein Gnadenlicht,
 Dein göttlich's Gnadenlicht.

3.

Wir sind ja Deiner Hände Werk,
 Der Schöpfung unterthan;
 O gib uns Schwachen Kraft und Stärk!
 Sieh' uns in Gnaden an.
 Hier bringen wir auf dem Altar
 Dir ein Versöhnungsoffer dar.
 O Gott! der Werth des Bluts ist groß,
 Das einst Dein Sohn für uns vergoß,
 Für uns vergoß.
 Am Kreuz für uns vergoß.

Zum Gloria.

Gott soll gepriesen werden,
 Sein Nahm' gebenedeit
 Im Himmel und auf Erden,
 Jetzt und in Ewigkeit.
 Lob, Ruhm und Dank und Ehre
 Sei der Dreieinigkeit;
 Die ganze Welt vermehre
 Gott Deine Herrlichkeit.

Zum Evangelium.

Aus Gottes Munde gehet
 Das Evangelium!
 Auf diesem Grunde stehet
 Das wahre Christenthum.
 Gott selbst ist, der uns lehret,
 Der Weis- und Wahrheit ist;
 Der seine Lehren höret,
 Wie glücklich ist der Christ!

Zum Credo.

1.

Allmächtiger! vor Dir im Staube
 Bekennt Dich Deine Kreatur.
 O Gott und Vater! ja ich glaube
 An Dich, Du Schöpfer der Natur;
 Auch an den Sohn, der ausgegangen,
 Von Dir geboren ewig war,
 Den, von dem heil'gen Geist empfangen,
 Die reinste Jungfrau uns gebar.

2.

Und Jesus Christus ist gekommen,
 Daß er versöhne uns mit Gott;
 Er hat die Schuld auf sich genommen,
 Und litt für uns den Kreuzestod;
 Er stand, besiegte Tod und Hölle,
 Fuhr zu des Vaters Rechten auf,
 Und wird als Richter jeder Seele
 Einst prüfen unsern Lebenslauf.

3.

Ich glaube, Gottes Geist regieret
 Die wahre Kirch' und Christenheit;
 Ein büßend Schaf, das sich verirret,
 Flieht hin zu der Barmherzigkeit.
 Am großen Tag wird 's Fleisch erstehen;
 Jetzt, Heil'ge helfst uns insgemein,
 Daß wir mit euch zum Leben gehen,
 Miterben Christi ewig sein.

Zum Offertorium.

1.

Nimm an, o Herr! die Gaben
 Aus Deines Priesters Hand;
 Wir, die gesündigt haben,
 Weih'n Dir dieß Liebespfand.

Für Sünder hier auf Erden,
 In Aengsten, Kreuz und Noth,
 Soll dieß ein Opfer werden
 Von Wein und reinem Brod.

2.

Nimm gnädig dieß Geschenke,
 Dreieinig großer Gott!
 Erbarm' Dich unser, denke
 An Christi Blut und Tod.
 Sein Wohlgeruch erschwinge
 Sich hin zu Deinem Thron,
 Und dieses Opfer bringe
 Uns den verdienten Lohn.

Zum Sanctus.

1.

Singt: Heilig, heilig, heilig
 Ist unser Herr und Gott!
 Singt mit den Engeln: Heilig
 Bist Du, Gott Sabaoth:
 Im Himmel und auf Erden
 Soll Deine Herrlichkeit
 Gelobt gepriesen werden,
 Jetzt und in Ewigkeit.

2.

Wir singen froh zusammen,
 Von ganzer Seel' erfreut;
